


Aug


Nd 340 ⁹
(8)

202

P. 116
= 0







MERCVRII

GALLOBELGICI:

Sive

RE RVM IN
GALLIA ET BELGIO
POTISSIMUM: VNGARIA

QVOQVE, GERMANIA, POLONIA,
Hispania, Italia, Anglia, alijsque Christiani
orbis Regnis & Prouincijs, duobus his
proximis Annis, scilicet 1607, &
1608. gestarum.

N V N C I I

T O M I O C T A V I

Pars Secunda.

Librum 31. comprehendens.



COLONIAE AGRIPPINAE.

Apud Gerardum Greuenbruch.

Anno M. DC. VIII.

MERCVRII
BENEVOLO LECTORI
S.

Superiori semestri Tomum Octauum Mer-
curij nostri Gallobelgici in publicum dedimus,
sed magis summa fastigia & capita rerum, quam
solidas historias recensentem. Caussa tum non vna
fuit: nam & certa & quibus tuto quis fidem ha-
bere posset, Narrationes nobis defuerunt, & tem-
pus inprimis, quum ad inuestigandam certisque
indicijs explorandam veritatem, tum ad Com-
menta nostra typis excudenda. Ea propter nobis
visum est, quod tum neglectum, nunc pleniori hoc
Commentariolo resarcire: nec dubitamus quin
Labor hic noster Lectori gratus & acceptus futu-
rus sit, quum praesertim rara nonnulla, & quae
alibi non facile reperias, admiscuerimus, omniaq;
non nostris studijs & opinionibus sed rei ipsius ve-
ritate metiti simus. Vale.

AK

MER-

Anno
1607.



MERCVRII
GALLOBELGICI
TOMI OCTAVI
Pars Secunda.

QVI EST LIBER XXXI.

*In qua presentis & superioris anni historia
& res geste accuratius & prolixius
describuntur.*

Dolixioribus epulis magisque
opiparis MERCVRIVS noster,
(Beneuoli Lectores,) hoc li-
bro vos accepturus, vnde po-
tius antecœnium vel promulsidem vo-
bis det, quam ex beato Irenes siue Pacis
penu, & copiæ cornu? è quo itidem (ita
speramus, ita vouemus) secundæ mensæ,
& veluti bellaria vel epidorpidæ vobis est
appositorus. Sed quum Paci, vel inducijs,
dum illa fit, non minimam causam Indicæ
nauigationes ab Hollandis magnis studijs
cœptæ & hactenus continuatæ, dedisse ex-
istimen-

4 MERCVRII GALLOBELGICI

Anno 1607. istimentur: rationes earum prius vnà cum
quarundam regionum sita, explicabo.

*Indiarum
diuisio.*

India, quæ hodie vocatur, bipartita est, Orientalis & Occidentalis, quarum hæc alio nomine, ab eo qui primus eam detexit, Americo Vesputio, America scilicet appellatur, & vastissimas regiones, Peruanam auro & argento affluentem, Brasiliam, Hispaniam Nouam, Mexicanã, Nouam Franciam, Floridam, & incognitas alias quæ Septemtriones spectat, complectitur. Hanc nostri Cosmographi quartam Orbis partem fecerunt. Indiam Occidentalem, credo, ideo vocant (etsi ab India vera longissime sit secreta) quod maiores nostri, quum de longinquis, remotissimis & incognitis locis loqui vellent, Indiarum nomen vsurparent. Illa vero quæ ab Indo fluuio eam irrigante appellata est, pars est Asiæ continentis, veteribus etiam non incognita diuiditurque in Indiam extra Gangem, quæ nunc est Indostan, & Indiam intra Gangem quæ est Chinæ regnum. Circa hanc innumeræ, vt & per totum Oceanum Indicum sparsæ jacent insulæ: sed in primis nobiles sunt Lusitanorum, & nunc Batauorum navigationibus Moluccæ, Philippinæ, Sumatra, olim Taprobana, Iaua major, &c. è quibus quum alia mercimonia preciosissima, tum in primis aromata omnis generis, maximo

Anno
1607.*De Moluccis
contentio in-
ter Hispanos
& Lusitano-
rum.*

maximo cum lucro mercatorum nostras in regiones transportantur. De Moluccis & ad eas nauigatione diu inter reges Castiliae & Lusitaniae disceptatum est, ad quem earum jus pertineret: quod tamen à Lusitano magis stare videbatur. In ea enim Noui Orbis diuisione quam Papa Alexander VI. fecerat, cautum erat, ne alter alterius limites transiliret, aut per eos nauigaret; quo Castiliani à Moluccis & toto illo tractu plane sum mouebantur, quum non nisi Lusitanorum fines præternauigando ad eas terras peruenire possent. Discessit postea à Lusitano rege Ferdinandus Magellanus, iniquo animo, seq; regis Hispaniarum seruitio mancipans, fretum illud quod ab eo nomen habet, in plaga Australi primus aperuit & permeauit, sic vt jam Hispanis per sua ipsorum climata ad Moluccas &c. aditus pateret. Id armis nihilominus Lusitani prohibere conati sunt, bellumque durauit vsque ad Caroli V. cum Lusitaniae Infante matrimonium. Siue enim inter conditiones hæc adiecta sit, siue clam ita inter reges conuenerit: certè Carolus V. nunquam adduci potuit, vt Hispanis mercatoribus, tercentum Ducatorum milia eo nomine offerentibus, ad Moluccas & vicina loca nauigandi licentiam concedere vellet. Tandem superioribus annis, deuoluto

6 MERCURII GALLOBELG.

Anno
1607.

*Loca Hispani-
cis parentia.*

*Qua occasione
Hollandi in
Indiam ori-
entalem per-
uenit.*

luto Lusitaniæ regno ad Hispaniarum re-
gem, causa omnis belli sublata est, atque
ex eo Lusitani quiete Orientalis Indiæ pos-
sessione & ad eam navigatione vsi sunt.
Etsi vero innumeræ fere, tam in Oceano
insulæ quam Continentis illius regiones
Lusitanorum non agnoscunt imperium:
habent tamen multas ijs in locis colonias,
& emporia celeberrima, Diu scilicet, *Chaul,*
Goam, Cananor, Cranganor, Cochim, Mangalor,
Malabar, Malaccam, Amboinam, &c. quorum
descriptions è Geographis nostræ ætatis,
& itinerariorum scriptoribus petat, qui
plura cupit. Quantas verò ex his Naviga-
tionibus Lusitania diuitias collegerit, dici
non potest: cum quibus postquam Bataui
bellum gerere cœperunt, lucrum hoc quo-
que interuertere, & partem eius ad se deri-
uare studuerunt, haud sane cum leui Lusi-
taniæ, immò totius Hispaniæ damno, vt ex
Navigationibus superius à nobis descriptis
facile colligere licet. Initium sane siue pri-
ma occasio parui fuit momenti: Petrus
quidam Houtmannus, mercator Belga, diu
mercaturam cum ijs qui in India Orientali
negociabantur, exercuerat, sic vt rationes
omnes lucri ibi faciendi, atque etiam com-
mode còperueniēdi probè haberet explo-
ratas. Deprehensus (lege enim id extraneis
vetitum erat) in carcerem conijcitur, &
grandi

Anno
1607.

grandi pecunia mulctatur. Quam quibus rationibus conficeret anxius, scribit ad mercatores quosdam Amstelodamenses, pollicetur si pecuniã quanta opus sibi esset numerent, se Indicæ Nauigationis, cuius immensa ac supra omnẽ fidem essent lucra, omnes rationes & mysteria eis demonstraturum: idq; postea è carcere exemptus, re ipsa abunde præstitit. Hinc lucri spe ille-cti quamplurimi mercatores societate constituerunt, & hæctenus quotannis magnũ nauium numerum, ab ordinibus adiuti, in Indiam ablegarunt, vt supra non semel dictum est, & è scriptis ea de re editis, cognosci potest. Atq; hic sane non leuis fuit ictus, quo Hispania non quidem labefactata, commota tamen aliquantulum fuit.

*Primus au-
tor consilij
de nauiga-
tione ad Ame-
ricam insti-
tuenda.*

Procedente Batauis ad Indiam Orientalem nauigatione, maiori audacia idem in Occidentali siue America experiri decreuerunt. Præcipuus huius consilij inuentor ac perfector fuit Ioannes quidam Vffel-lingus, Antuerpiensis, qui in Hispania & subiectis ei insulis diu multũq; versatus fuerat, omnesq; Occidentalis Indiæ siue Americæ opportunitates atq; emolumenta ad vnguẽ explorata habebat. Huic facile alij quoq; assenserunt, consilium hoc eiusmodi esse dictitantes, vt eo, vel nullo alio, bellum aut aliò verti, aut consopiri & componi possit,

Anno
1607.

*Scriptum
Vsselingi de
navigatione.*

idque priuatis tantum mercatorum opibus, nulla ex ærario publico facta deminutione. Certum enim esse, complures populos Americæ ita Hispanis infensos esse, vt nihil magis quàm profligatos eos cupiant: idque vltro facturos, si vel paruis auxilijs, maxime verò armis iuuentur, inque ijs exerceantur, quibus freti, Hispanis continuo ex occasionibus assulturi sint, & multorum sumptuum faciendorum necessitatem imposituri. Nec enim vllum eis ab insula S. Trinitatis ad Æquinoctialem vsq; vel præsidium esse vel munimentum. Alias insuper rationes idem Vsselingus allegabat, quæ tamē suppressæ sunt, quod ordines nondū eas diuulgari vellent. Iussus consilium suū scripto explicare, hæc fere disseruit. Prima pars querelam habet de Hispanorum, vt ille vocat, ambitione & auaritia, qui Belgas ab omni lucrosa negociatione summo- uere conentur, eumque in finem nuper tricesimarium vectigal imposuerint. Sed nihil indignius esse quàm quod ijs quoq; regionibus & insulis eos prohibeant, quorū incolas Belgarum amicitia vltro expetant, & auxilia contra Hispanos implorent. Nec enim tantam esse horum populorum barbariem, quanta vulgo putetur, sed complures esse qui ciuiliū viuendi rationem sequantur, nec nudos discurrere, & in promiss-

Anno
1607.

promiscuas libidines effundi, sed vestitos, domos, pagos incolere, & certa matrimonia habere: denique ijs esse moribus vt ad humanitatem facile flecti atque informari posse videantur. Hęc omnia procliuiora fore, si coloniæ eò deducantur, quarū ductu atque exemplo non animum tantum, sed terram etiam melius excolere discant. Non defuturum faccarum, zinziber, oleas, vinum, glastum, gossypium, lupulum, & alios id genus fructus. Intimas telluris venas scaterere auro, argento, alijsque metallis & mineralibus, quæ nerui sunt belli gerendi. Iam opificia varij generis quæ in Belgio fiunt, & merces ingenti lucro eò comportari posse; atque ita artes mechanicas, quibus tot hominum milia se sustentant, prospere se rursus habituras. Magnam denique salis optimi ijs in oris reperiri copiam, quo, si omnia alia defint (quod tamen nunquam futurum sit) naues quam plurimæ fabricari queant.

Ad extremum scripto hoc omnes & singuli mercatores ac ciues inuitantur vt quantum quisque in societatem hanc conferre vellet, indicet; quo maturè omnia quæ ad eam necessaria sunt, efficiantur: in primis verò vt consilium siue senatus constituatur, in quo nemini suffragij vis habeat, nisi qui ducentas libras Flandricas contulerit, &c.

A S

Scrip-

Anno
1607.

Scriptum hoc Vffelingi cum eius rationibus pleriq; omnes mercatores comprobant: sed quum id temporis Paulus Cardenus, ad maritimas Americæ oras perlustrandas missus, adhuc abesset, consules Amstelodamenses eo vsq; rem differendâ censuerunt, quoad is domum redijisset. Cardeno reuerso & quidem sine vlllo operæ precio & emolumento, Vffelingus nihilominus propositū vrsit, vsus potissimū opera Petri Plancij Geographi, Francisci Frāci senatoris in summo Dicasterio Holladiæ, qui admirabili industria exquisitam omniū illorum locorū, litorum, insularum, firium, portuum, arcium, itinerum cognitionem jamdiu sibi cōparauerat. In Selandiā quoque profectus, tantum effecit, vt ab Ordinibus idonei homines in Hollandiam missi sint, nempe Cornelius Monachus & Salomon Iansenius, qui consilia cum delectis communicarent. Re ad Ordines generales vnà cum supplici libello delata, & diu multumque disceptata, tandem decretum in hanc sententiam factum est. Primo, inquit, quum Belgicarum prouinciarum opes in Nauigationibus & maritima mercatura magnam partem consistere non ignorent Hispani, in id vnicè elaborasse hactenus, & adhuc elaborare, vt ab eis Belgas, præsertim confederatorum Prouinciarum

ciues

Anno
1607.

ciues penitus summoucant & excludant, idque vt efficerent, nullum crudelitatis genus in eos etiam qui salem tantum asportant, prætermisisse. Id nimirum agere Hispanos, vt omnium istarum mercium, quæ conuehi inde solent, monopolium instituant, & ex aliorum incommodis sua faciant commoda. Quod quum ipsi ferendum nullo modo existiment, permittere omnibus vnitarum Prouinciarum incolis liberam in omni Occidentali India, Brasilia & Africa negociandi ac mercaturam exercendi facultatem, ita tamen vt Nauigationes non nisi communibus mercatorum impensis, explorato & tuto instituantur. Quam ad rem ea quæ sequuntur Priuilegia, immunitates & iura ipsis concesserint. Primùm ne quis ciuium qui in hanc societatem non sit adscriptus, ad maritimas Africæ oras, à Tropico Cancrì vsq; ad Bonæ spei promontoriũ, aut ad Americam à freto Magellanico ad Nouam Terram vsque, vnà cum interiectis insulis, nauigationem suscipiat, aut mercaturam ibi exercent: qui verò id fecerint, earum naues & mercimonia prædictæ societati inuolare, sibi que vindicare liceret. Eidem societati vis sit cum regibus, Principibus & populis illo terrarum tractu comprehensis, federa ineundi, arces & præsidia exstruen-

Anno 1607. exstruendi, gubernatores & iustitiæ administros constituendi, omniaque quæ ad bonum conseruandũ ordinem, promouendam terræ fertilitatem, & locupletandas prouincias pertinent, faciendi: hac tamen conditione, vt gubernatores, præsides & magistratus fidei iuramento ordinibus & societati sese obstringant &c. Quod si societas damnum aliquod vel fraude aliorum vel iniuria patiat, integrum ei sit ad id refarciendum eos à quibus decepta est, quibuscumque modis licitis cogere. Quum verò dubium non sit quin Hispani & Lusitani summis se viribus huic societati opposituri sint: permittere se ac facere omnibus prædictæ societati operam nauantibus, cum Hispanis & quicumque vim fecerint, armis decertandi, eos persequendi, spoliandi, incommodo quocumque tam terra quam mari officiendi facultatem, idq; ius etiam habeant in omnes prouincias Hispanico imperio subiectas, & quascunque naues in Oceano aut alibi deprehensas, vt hac veluti necessitate illi constricti & compulsi, vel in gratijs suis Indicam hanc navigationem societati libram relinquunt. Interim tamen vim omnem ab ijs qui amice ac pacate cum societatis ministris viuere ac contrahere voluerint, abstineant, quin etiam eos protegant & defendant. Quum verò

Anno.

1607

verò ad conseruandam hanc & propagan-
dam societatem miles necessarius sit; socie-
tati licet eum suis stipendijs conducere, vt
& castrorum metatores hominesque inge-
niosos munimentorum exstruendorum
peritos : qui tamen præter iuramentum
quo societati obstricti sunt, Ordinibus
quoque & Mauritio Prouinciarum Gu-
bernatori sacramentum dicant. Licetori-
bus à societate constitutis fas sit tam nau-
tas quam milites etiam in terram expositos
justam ob causam apprehendere, & appel-
latis prius Officiarijs, ad quamcumque
Vnitarum prouinciarum aut ciuitatum
deducere. Omnes societatis huius naues
ac merces immunes sint ab omnibus vecti-
galibus, etiam ijs quæ antiquo jure Domi-
ni de Wassenar in Hollandia possident. Si-
militer omnia mercimonia quæ vel ad re-
giones prædictis limitibus Affricæ & Ame-
ricæ comprehensas ex cõfederatis prouin-
cijs exportabuntur, vel inde ad eas adue-
hantur, proximis viginti annis nec comea-
tus vel salui conductus, nec Licentiæ, vel
quouis alio nomine quidquam soluere te-
neatur. Præda & spoliolum si quæ ab hosti-
bus aut nauigationem impedire conanti-
bus referantur, rationes separatæ confi-
ciantur, eaq; nauibus construendis, alen-
doque militi impendantur. Eum in finem
præda.

Anno
1607.

præda omnis, nisi aliud summa ratio suaserit, intra proximum sexennium communi societatis ærario inferatur: eo verò finito, id quod plus est sumptibus distribuatur, cuius decima pars Reipublicæ, tricesima Comiti Mauritio maris præfecto, quod reliquū fuerit, societati viritim cedat, seruatæ summæ quā quisq; contulerat proportionem. Vtrum verò præda jure vel injuria acquisita sit, judiciū penes Admiralitatis, quā vocant, collegium eius loci ad quem comportata illa fuerit, maneat. Ordines generales Confederatarū prouinciarū societate iuuabunt decies centenis florenorum milibus, proximo quinquennio numerandis, ita vt bina statim conclusa & stabilita societate, ac singulis deinde annis alia bina dependantur. Idē sedecim naues bellicas, quarum minima centum & quinquaginta onerum nauticorum capax sit, & quatuor celoces, tormentis, armamentis duplicibus, rebusq; omnibus optimè instructos societati suppeditabunt, hac tamē conditione, vt ijs omnibus societas suo sumptu nautas, milites & annonam imponat, totidemq; naues bellicas similiter ornatas adiungat, quæ coniunctis viribus sub vnus quem societas elegerit, imperio, hostibus resistent, ita tamen ne onerariæ mercibus onustæ, vlli periculo extra necessitatē obijciantur. Quod si fiat

Anno.

1607

fiat vt Hispani vires suas in societatem conuertant, atq; inde confederatæ prouinciæ alleuamentū aliquod sentiant, promittunt Ordines se ad priorem illam pecuniæ summam tantā adiecturos, quantam cōmunis ararij ac Reipublicæ, status ferre poterunt, & societatis quoq; rationes requirent. Vt verò omnia recte riteq; administrantur, & sociorum commoda, quantū eius fieri potest, promoueantur: quatuor instituentur collegia, penes quæ rerū omniū sit administratio; primū Amsterodami, quod sub suo jure semissem habeat totius summæ capitalis: secundū in Selandia, cui quadrans committatur: tertium Roterodami vel ad Mosam fluuium, cui de assis parte octaua, & quartum in Nort Hollandia, cui itidem de parte octaua disponendi jus sit. In collegiū Amsterodamense triginta, in Selandicum octodecim, in Roterodamense & Northollandicū deni quini legantur naualis rei & mercaturæ periti, qui sex annis societati operam nauent, sic tamen vt quotannis in cuiusque locum alij de nouo substituuntur. Ex omnibus his collegijs vnum veluti generale constituatur, decem & septem sodalium, qui primis sex annis Amsterodami, duob' proximis in Selandia, & sic deinceps, conuentus suos habeant, inque ijs de tempore instituendæ nauigationis, de numero nauium,

Anno
1607.

navium, deque omnibus ijs quæ vel ad or-
 nandum classem vel quoscunq; casus per-
 tinent, deliberent & statuunt, & quorum
 decretis reliqua collegia obtemperare te-
 neantur: si quid tamen grauius quid occur-
 rat, quod non ita facile decidi possit, id ad
 Ordinum generalium concilium referatur.
 Omnibus societati nomen daturis quinque
 mensium spacium concedetur, quo interea
 quantum conferre velit quisque secum sta-
 tuat & decernat. Collationi verò quatuor
 termini præstituantur. Primus post quinque
 illos menses, quo triens deponeretur: reli-
 qui duo trientes tribus proxime sequenti-
 bus annis societatis ærario inferrentur, nisi
 xvii viris terminum prorogare visum
 fuerit. Sexto quoque anno tam accepti
 quam expensi rationes à collegijs redde-
 rentur, vt quid detrimenti, quid lucri so-
 cietas fecerit, omnibus constare possit: eius
 tamen quod ad negotiationem spectat ab
 eo quod bellum & prædam concernit, se-
 cretæ & disparatæ haberentur rationes.
 Lucrum inter socios distribueretur, quo-
 tiescunq; è centenis deni floreni rediissent.
 Asses siue summa capitalis nemini redde-
 retur, nec quisquam amplius in societatem
 reciperetur, nisi post triginta sex annos,
 quo tempore rationum vltimam, & vt vul-
 gariter nihil oqui liceat, computationem
 finalem

Anno
1607.

finalem societas sit exactura. Naues omnes redeuntes ad eum portum appellant, è quo abeuntes soluerunt, ne collegiorum rationes turbentur aut commisceantur. Sumtuum in naues ad expeditionem pro-cinctas factorum rationes tertio mense post earum discessum collegis reddantur. Plura alia huius societatis capita & leges fuerunt, quibus Ordines id vnicè agebant vt Indicam siue Americanam nauigationem promouerent.

Porro quum dubium non sit quin magna tam ex hoc Batauorù instituto, quam ex illa quæ jam feruet & maxime frequen-tatur, in Moluccis & Orientali India illorù ipsorum negociatione, Hispani ac Lusitani incommoda senserint, ac maiora etiam ve-reantur: existimant nonnulli pacis mentio-nem tanto facilius admissam. Quod vt ne-gare nolumus, ita alias quoque longe gra-uiissimas causas esse persuasum habemus. Sed vt jam de induciarù occasione aliquid dicamus, tempus est.

Mense Maio territorij Kesselen-sis satra-pa, Walrauus à Wittenhorst, Hagam-Co-mitatensem profectus & cum paucis collo-quitus, quum induciarum mentionem à se factam parum gratis auribus atque ani-mis accipi animaduertisset; tum quidem, re infecta, ad suos redijt. At postea x x i i i .
B Decemb.

Satrapa Kes-selen-sis Ha-gam missus paci viam sternit,

Anno
1607.

Decembris vnà cum Ioanne Geuardo LL. Licentiatò & secretario Turnhoutensi in Hollandiam reuersus, paucis primum eorū quæ in mandatis ab Archiduce accepit summam, priuatim exposuit, hunc ferè in modum: Iustam Archiducem belli contra ipsos gerendi causam habere, non quidem tam vt amissa recuperet, quam quæ sua sunt defendat, ne Ordines quidem negare posse. Eum nihilominus tanto belli huius tam diuturni tamque cruenti bona & stabili pace finiendi, vel inducijs quot uellent Ordines annorum, suspendendi desiderio teneri, nihil vt Ordinibus quod vllam æquitatis speciem haberet, negare constituerit, sed suam voluntatem ad eorum postulata ultra quam credi potest, sit accommodaturus, &c. Re inter paucos secretò communicata, placuit vt Geuardus Bruxellas rediret & mandatum publicum litterasque ad Ordines generales expediri curaret: cum quibus 1 x. Ianuarij reuersus, impetrata ad XIII. diem Ianuarij audientia, mandata Ordinum conuentui exposuit, quibus Archidux paratum se ostendebat vel pacem cum eis vel inducias facere, nihilque prætermittere eorum quibus è tam miserabili statu ad antiquum illud decus & pristinam felicitatem prouinciæ reducerentur. Ad hæc Ordines

XXVII.

XXVII. Ianuarij ita responderunt, repetitis
ijs quæ superiori tempore tam bello quam
pace facta erant: Vt vllam cum Archidu-
ce tractationem suscipiant, minime con-
sultum sibi videri, quippe quem animad-
uertant jus in Confederatas prouincias si-
ne vlllo jure sibi arrogare. Toti enim
mundo notorium atque euidentem esse
justam Ordinum causam, qui ad Vnionem
illam superiori tempore factam, sed tam-
vi quam fraude postea infractam, omnes
prouincias in illam adscriptas reuocare de-
creuerint. Præterea Confederatas pro-
uincias jamdudum publico decreto, gra-
uissimis de causis eiurato Hispanorum
imperio in liberæ Reipublicæ statum esse
reductas; idque decretum multis hæctenus
publicis actionibus & federibus à poten-
tissimis totius Europæ Regibus ac Princi-
pibus stabilitum esse & confirmatum: in
quo quidem tuendo ac propugnando ne
vitæ quidem ipsi, vt hæctenus, ita porrò
quoque parcere velint, omnesque vires ad
ea quæ ab Vnione illa auulsa sint, recupe-
randa conuersuros. Et hac vice quidem
nihil aliud se habere quod respondeant,
quam quod Cæsareæ Majestatis, & mul-
torum Regum ac Principum legatis hæ-
ctenus responderint, scilicet nec hone-
stum

Anno 1607. stum, nec tutum, nec conducibile sibi videri, vt cum eis qui prius illud Decretum, & tot actionibus stabilitum & confirmatum jus, partam denique tam multo sanguine libertatem infringere conantur, vllam ad tractationem descendant, &c.

Hoc cum tam duro responso prædicti legati Bruxellas redierunt: sed paullo post Wittenhorstius litteris ad Ordines scriptis declarauit, Archiducem non id agere, vt Ordinum, vel ipsorum Reipublicæ, quem dicant, statum conuellat aut labefactet, quem integrum ita vti jam est, lubenter ipsis sit relicturus. Hac conditione si de pace agere velint, non abnuere.

*Ioan. Naius
Hagam Comitis de pace missus.*

Paulo post, ineunte Martio, in Hollandiam venit Ioannes Naius, Martini Naii filius, Franciscanæ familiæ Commissarius generalis &c. Hic primum in pago Risuicensi nō procul Haga-Comitis aliquantum substitit: ac tandem cum Mauritio alijsque congressus, & cur venisset rogatus. Ad actionē à Wittenhorstio cœptam continuandam, respondit. Hagam-Comitis deductus, iterumque priuatim cum procerum nonnullis congressus, non id agere serenissimos Principes protestatus est, vt jus suū hac siue pacis siue induciarū tractatione vel melius vel deterius reddant, sed ita vt in eo quo jam sunt statu permaneant

Ordin-

Ordines Confederati, cum ijs tractationem
suscepturos. Quum ei responderetur, ne-
quaquam Ordines quidquam hac in re pri-
us consensuros vel acturos quam Archidux
Prouincias omnes confederatas, earumque
Statum pro libera Republica habuerit ac
proclamârit, Nafus sperare se dixit, id quo-
que à Principibus, vt à ciuili fundendo san-
guine abftineatur, impetrari poffe. His ja-
ctis fundamentis, 1 x. Martij, humaniter
habit⁹ ac dimiffus, celocē Mauritij Comit^{is}
cōfcendit, & per Scaldim Antuerpiã nauigauit,
inde Bruxellas profectus, quæ acta
effent narrauit, & paullo post, xvii. fcilicet
Martij reuerfus, Archiducum mandata
fcripto confignata Ordinum deputatis ex-
pofuit, hanc in fententiam: Quum nihil
magis in votis habeant quam vt fubditi &
incolæ prouinciarum Belgicarum à mife-
rijs tam diuturni belli aliquando liberentur,
habita deliberatione, mandatum fuis
dediffe, vt cum Confederatarum Prouin-
ciarum Ordinibus, tanquam liberis, & in
quos nihil ipfi fibi juris fumant aut præ-
tendant, tractationem fufcipiant, & de pa-
ce vel in perpetuum, vel ad annos fiue duo-
decim, fiue quindecim, fiue viginti, prout
vifum Ordinibus fuerit, confituenda a-
gant; idque propositis honeftis æquisque
conditionibus, ita vt pars vtraque quod-
cunque

Anno
1607.

*Nafus Haga
Comitis dif-
cedit.*

*Littere Arbi-
ducum ad
Ordines Con-
federatos.*

Anno.
1607

cunque vti jam possidet, ita possideat, nisi forte mutuo consensu de permutandis oppidis & locis quibusdam inter partes conueniat, vtq; commercia majori cum securitate bonoq; publico in posterum exerceatur. Quò verò facilius animum ad hanc suscipiendam tractationem Ordines adijciant, testantur se sincere & absq; vilo dolo cum eis acturos, & satis temporis eis ad deliberandum, & quod optimum Reipublicæ videatur concludendum atque eligendum permissuros. Sed nec repugnare se affirmant, quo minùs quos ad pacis hoc negotiũ tractandum & conficiendum nominaturi & designaturi sint (qui tamen non nisi natione Belgæ esse debeant) cum Ordinum arbitris pari numero, tempore & loco quem Ordines dixerint, conueniant: vtq; commodius ac felicius omnia peragantur, placere sibi vt octo mensium induciæ & cessatio ab armis inferendis, omnique vrbium, prouinciarum, arcium & propugnaculorũ tam aperta obsidione & oppugnatione, quam clandestina interceptione, & alijs id genus hostilibus molitionibus, quemadmodum etiam nouorum propugnaculorũ extruptione, fiant, ita tamẽ vt intra octiduum Ordines in hæc inducias consentiant, & quid in causa faciendæ pacis facturi sint, declarent, cõdicto simul & nominato certo tempore

Anno

1607.

*Ordinum re-
sponſio.*

tempore ac loco, quæ vltiori tractationi
cōuenire maxime putent. Perlecto hoc scri-
pto, auditisq; Legatis, Ordines id sibi præ-
ter omnē spem offerri quod jam diu quæ-
sierant, adimaduertentes, illas octo men-
ſium inducias acceptarunt, & ad Archidu-
cem litteras in hanc ſententiam responde-
runt: Se nimirū in declaratione illa qua li-
beri Status & Prouinciæ & in quas nihil ipſi
juris prætendāt, ab Archiducibus declaren-
tur, acquieſcere, & in quū teſtentur bona fe-
fide ac ſincere cum Ordinibus omnia actu-
ros, nihilq; aliud ſpectare quā vt bello hoc
tandē honeſta ratione finito, à tã diuturnis
eius miſerijs Belgiū vniuerſum aliquando
liberetur, in octo menſiū proxime ſequen-
tium inducias, ſumpto à iiii. diē Maij initio
cōſentire, quibus interea pars vtraq; ab vr-
bium, prouinciarū, oppidorū & arcium op-
pugnatione atq; inuaſione, & à nouorum
propugnaculorū ex ſtructione pars vtraq;
abſtineāt. Acceptare ſe igitur prædictas Ar-
chiducū oblationes, deq; ijs ad eas quorum
inter eſt, relatuſ, operamq; datuſ vt ad
archiducū poſtulata ante Calēdas Septemb. *Inducie ſunt*
plenè reſpōdeatur, &c. Acceptis hiſ vtrim-
que inter Legatos cōditionibus, Archidu-
ces quidē ex vna, Ordines verò Confedera-
tarū prouinciarū ſtatu & qualitate liberæ
Reipublicæ, fidem ſibi inuicem dederunt,
B 4 se præ-

Anno. 1607 se prædicta induciarum pacta fideliter seruatu-
ros, & nihil contra ea vel directe vel indirecte suscepturos vel molitu-
ros. Promiserunt in super Archiduces, se tractationis huius approbationem ab Hispaniarum rege trium mensium spacio impetratu-
ros, & ut vnà cum renunciationis tam particularis quam generalis litteris Ordinibus mature exhibeatur, procuratu-
ros: quæ omnia in tabulas relata sunt & ab vtraque parte subscripta, &c.

Promulgantur publico edito.

Harum induciarum promulgationem Ordines confederati XIII. Aprilis per omnes prouincias fieri iusserunt, missis ad magistratus singularum prouinciarum & urbium hanc in sententiam edictis: Quum per singularem Dei prouidentiam res eò perductæ sint, ut Archiducibus superiori mense Martio visum sit per litteras secum tamquam cum liberarum prouinciarum Ordinibus, in quas nihil ipsi juris habeant aut prætendant, de pace ad annos aliquot constituenda agere, & inducias cessationemq; ab omni urbium & propugnaculorum tam veterum oppugnatione, quam nouorum exstructione, ad octo menses continuos facere, ut eo melius sese Ordines ad futuram tractationem præparare, & quod optimum videatur habita deliberatione eligere possent. Quandoquidem igitur,

tur, instituta cum illustri Comite Mauritio & Ordinū consiliarijs deliberatione, hanc induciarum oblationem non recusandam sed acceptandam modis omnibus esse censuerint, jamque non solum in prædictas inducias consenserint, verum etiam rem omnem ad eos quorū interest, referre, operamque dare promiserint, vt ante Calendas Septembris Archidux Ordinum sententiam intelligat, quo sine quidem assurationis literas jam hinc inde acceperint & reddiderint: aliter quidem facere se non potuisse, quam vt & ad Ordines referrent, & antequam responsum darent Archiduci, sententiā suam cum potentissimis Gallia, Angliæ, Daniæque Regibus, Principibus item & statibus Imperij alijs, cum quibus fedus habeant & amicitiam colant, communicarent, vt ita cognita eorum sententia, nihil nisi quod ad diuini nominis gloriam, religionis reformatæ amplificationem, & vtilitatis publicæ promotionem faciat, hac in causa eligant atque sequantur. Cum vero ante omnia necessariū sit, vt Deo pro multiplicibus beneficijs, quæ Confederatis prouincijs toto hoc tam diuturni belli tempore præstitit, maximè verò quod animum Archiducis ad faciendam pacem inflectere dignatus est, gratiæ toto pectore agantur, isque porro inuocetur, vt negotium

Anno 1607. tium hoc ad nominis sui gloriam, religionis reformatæ promotionem & publicam priuatamq; subditorum in prouincijs hisce utilitatem dirigere clementissime velit : hanc ob causam constituisse se vniuersalem jeiunij & precationis diem per omnes prouincias, ciuitates & oppida indicere, & huic tam sancto negotio nonum Maij diem attribuere. Velle sese igitur & mandare serio, vt hoc ipsum vniuersis & singulis per vniuersam Hollandiã & Occidentale Frisiam ciuitatibus oppidifq; notum facere, & præstitutum diem jeiunij & deprecationibus, pro more antehac vsitato transigere non intermittant, rem hac ratione & prouincijs omnibus salutarem, & Ordinibus reliquis gratam atque acceptam, facturi.

Ioannes Najus Lilloum venit & inde Hagam.

His ita peractis, Theodorus Doufa ab Ordinibus Lilloum xiv. Aprilis missus fuit, vnà cum litteris, quibus prædictæ octimestres induciæ Ordinũ nomine acceptantur & solenniter confirmantur. Eò quoq; eodẽ ferè tempore Ioannes Najus venit, cū similibus ab Archiduce litteris; quas tamen, quod in forma approbationis Actis tantũ subiectæ essent, Doufa accipere recusauit. Quare Najus summa celeritate missis Bruxellas nuncijs, alias eadem forma qua ab Ordinibus illæ fuerant, expediri curauit : quæ quidem ante xxviii. perlatae sunt,

Anno
1607.

sunt, vnà cum aureo torque, ab Archiducibus prædicto Doufæ donato. Quum verò Najus in mandatis haberet Acta illa Archiducum nomine accuratius interpretandi, eorumque mentem amplius declarandi, Hagam vnà cum Doufa proficisci se velle dixit, atque tandem etiam, quamuis repugnante Doufa, cui nihil ea de re mandatum fuerat, eò venit, & in Statuum concilium, quamuis reclamantibus initio nonnullis, minimè audiendum eum consentibus, admissus, singulari dexteritate accuratiorem induciarum interpretationem & noua quædam Acta Calendis Iunij cum Ordinum deputatis confecit, hac forma: Vt induciæ quoque in Oceano septentrionali & freto inter Galliã & Angliam ad Sorlingas vsq;, sumto à xiv. Iunij initio seruarentur, post eum diem præda omnis, nisi quã miles militi eriperet, intra prædictos terminos parta, male parta à raptoribus abiudicaretur: itemq; vt quã primũ Approbationis litteræ ab Hispaniarũ rege venerint, naues omnes bellicæ oras eius regni iam infestantes reuocarentur, & præda similiter omnis exceptis tamẽ militibus, sex post septimanis ab eo die parta, male parta censeretur. Ad fines quod attinet, durantibus inducijs ab omni inuasionem immunia essent sequentia loca, flumina & portus

*Induciarum
accuratio
declaratio,
& termini,
intra quos.*

Anno
1607.

& portus, Amasis, Dollartus lacus, vnà cum Wedano & Drentano agris, & Couorda oppido & arce, Vidrus fluuius (Vechta hodie) ad ponrem vsq; Bercomensem, nouus Vidrus ad Suollam vsq;, à Suolla Cotenum vsq;, à Coteno secundum Isalam fluuium, Iselortum vsque omnemq; qui septentriones & occasum spectat, agrum; ab Iselorto secundum Rheni fluentia ad Grauenuerdam siue propugnaculum Schenkianum, & tractum illum occidentalem; à Grauenwerda secundum Vahalis decursum, Goricomum vsque, & ad regiones illas septentriones & occidentem versus porrectas. Cis & ultra Mosam verò comprehenderetur omnis tractus à Grauia vsq; ad Montem Gertrudis, vnà cum omni illo ad Septentriones territorio, nec non Merua omniaq; flumina & aquæ inter Hollandiam & Selandiam, itemq; omnes insulæ, quæ maris fluxu & refluxu separantur, Lilloum & Slusam vsque inclusiue. Ex altera parte omnis vis & conatus hostilis abstineretur à Ducatu Luxemburgensi, Comitatu Namurcensi, omnibusque citra hos sitis regionibus. In Brabantia immune esset, quidquid citra Demmeram & Gretam ad Scaldim vsque comprehenditur fluminum ac terrarum. In Flandria, quæcunque citra Leiam positæ sunt regiones, quæq; vltra riuum Mandim & Con-

Anno
1607.

& Conzelarum, Dixmudam & Nuportum ad maris vsque littus se extendunt: intra quos oēs limites ac terminos neutri parti quidquā hostile cōtra alterā moliri fas esset si vero damni quid fieret, sine mora resarciretur, &c. Extra hos limites verò nemini sine salui conductus, quas vocant, litteris egredi liceret, nisi militibus, quibus transitus indulgendus, sic tamen vt neq; castra alicubi in prædictis locis, & statura constituant, nec vllum oppidum aut arcem capiant vel oppugnent, &c. Post hæc Najus V. die Iunij Haga-Comitis iterum discessit, quum prius Cornelio Arsenio, Ordinum confederatorum Actuario siue scribæ primario, ingentis precij munus vel honorarium obtulisset, quod tamen ille, nisi de Principis Mauritij & Ordinum consensu fieret, accipere recusauit.

Fama hæc de tam lætis pacificationis ini-tijs, mirificam per omnes Belgij prouincias in vulgi ferè animis lætitiã excitauit, quorū omniū vnum votū erat, belli tam cruenti miserijs tandē aliquando perfungi ac dulcissimos pacis fructus degustare: vicinorum verò Regum ac Principum animos tanta admiratione impleuit, vt quid de tam inopinatis inducijs sentirent dicerentue, nihil certi haberent, & quanto earū causas diligentius inuestigarent, tanto magis an-cipites

*Galliarum
ad confede-
ratos legatos
mittit.*

Anno
1607.*Galliarum
ad confede-
ratos legatos
mittit.*

cupientes hærerent. Vix enim quisquam sibi
persuadere poterat, Archiduces vnquam
tantum de jure suo remissuros, aut Ordines
Confederatos iisdem fidem tam facile ha-
bituros. Augebant suspicionem res omnes
tam secreto habitæ atq; tractatæ, vt nulla
indicia ad cuiusquam exterorũ Regum ac
Principũ legatos vel oratores permanarint.
Vtrimq; enim res initio inter paucos agita-
ta est: idq; ceteri tam Brabantia quã Hol-
landia Ordines ægre tulisse dicuntur. Gal-
liarum quidẽ rex, Ordinum litteris certior
factus, Ioanninũ supremi senatus præfulẽ,
dominum Russium, & dominũ Busanvalli-
um in Hollandiam statim ablegauit, qui
impetrata xxviii. Maij audientia, regis sui
mandata exposuerunt, grauiter initio con-
questi de Ordinibus, qui ad tam subitam
rei tam grauis tractationem, rege inscio,
descenderint, ac tam longe in ea progressi
sint. Regis quidem eundem esse erga con-
federatarum prouinciarum Ordines ani-
mum, cuius, si bellum gerere perrexerint,
auxilia nunquam eis sint defutura; sin pa-
cem facere maluerint, sua eos auctoritate,
quantum possit, adiuturũ, pacemq; æquio-
rem impetraturũ, &c. Secundum hæc regij
Legati ex Ordinum numero adiungi sibi
aliquot petierunt, quibuscum de omnibus
ijs quæ ad prouinciarum statum & earum
confer-

Anno
1607.

conseruandā libertatē pertinent, consilia
cōferrent, deq; ijs quibus pax impediri vel
promoueri posset, cōsultarent. Ad eā rem
ē singulis prouincijs quidam lecti sunt: ex
Hollandia Ioannes ab Oldenbarnefeldt, ex
Selandia dominus à Maldere, & sic alij ex
alijs prouincijs, qui xxix. Maij cum præ-
dictis legatis agere cœperunt, ac tandē ita
conuenerunt, vt ijdem regis sui nomine
futuræ pacis tractationi interessent.

Idem à magnæ Britannix siue Angliæ
rege Ordines postularunt, vt scilicet mitte-
ret aliquos qui omnibus quæ agerentur,
vt testes atque arbitri, præsentēs essent:
sed is certos prius atque idoneos homines
ad se ablegari rogauit, à quibus de vniuer-
so prouinciarum statu omnibusque eò
spēctantibus accuratè edoceret. Missi
sunt ab Ordinibus Ioannes Berckius, Dor-
dracenæ ciuitatis Syndicus, & Iacobus à
Maldere eques, &c. qui vnà cum Noello
Caronio Sconeuallio, Ordinum in An-
gliæ regno Oratore, xvi. Iulij ad regem
introduciti, & sine vllis primum arbitris
aliquoties cum eo colloquuti, postea etiam
cum regijs senatoribus & consiliarijs con-
gressi sunt, non humaniter tantum, sed
splendidè etiam ac regie excepti, & per
totum quo ibi fuerant tempus, publicis
etiam epulis à rege, regisque filio
Valliæ

*Angliæ rex
vt pacis ar-
bitræ à con-
federatis re-
quiritur.*

Anno
1607.

Walliæ Principe, magnificentissimè tractati, immunitatibus insuper quibusdam, & tor- que aureo regisq; effigiem habente emble- mate donati, ac tandem honorificè dimissi. Discedentibus rex pollicitus est, se cōsilio & auxilio Confederatis prouincijs, præsertim in pacis conficiendæ negocio, non defutu- rum: eumq; in finem legatos suos, Richar- dum Spenserum, Baronem & equitem, & Rudolphum Viniuodum in Hollandiam missurum, &c.

In Approbatione illa induciarum & tra- ctationis impetranda, quam ab Archiduce promissam supra diximus, idē tanta vsus est diligentia, vt intra præfixum trimestre spa- cium ab Hispaniarū rege eam obtinuerit. Quare Spinola datis xvi. Iulij ad Ordines Confederatos litteris, certiores eos fecit de secretarij sui Biragij ex Hispanijs aduentu, qui prædictam Approbationem secum at- tulerit, addita petitione vt Ludouico Verreickio Audientiario in Hollandiam co- meandi, & cum Ordinum delegatis confe- rendi facultas daretur. Qua impetrata, Verreickius xxiv. Iulij mane Hagam-Co- mitis venit, & Approbationem illam Hi- spanica lingua conscriptam, & Actis supe- rioribus, scilicet xxiv. Aprilis, & Calendis Junij, insertam, Ordinibus exhibuit, hoc tenore: Sua Majestas, visis ijs quæ in charta
illa

Anno
1607.

illa à charissimis sibi fratre vel affine & so-
rore, illustrissimis sc. Alberto Archiduce,
& Isabella-Clara-Eugenia, supremis Belgij
regionū Principibus & proprietarijs, missa
continentur, inducias octimestres & cessa-
tionem, tam ab armis quam hostilibus
omnibus molitionibus, oppidorum & ar-
cium occupationibus, prouinciarum in-
uasionibus, & nouorum propugnaculorū
exstructionibus, nec non intentionē illam
de deligendis vtrimque certis hominibus,
& vel pace vel longioribus faciendis indu-
cijs, cōcernentia: re mature deliberata, ne
bonū & emolumentum quod inde sperari
potest, impediatur aut remoretur, declarat, se
prædictas inducias & armorum suspensio-
nem approbasse & confirmasse, & in omni-
bus earum induciarum articulis, quantum
quidem eius ad se pertinet, aut sua interest,
hoc ipso approbare & confirmare: promit-
tens sub fide & verbo regio, se illas articu-
latim atque integre seruaturam, non secus
ac si ab initio statim cōsensu, auctoritate &
interuentione ipsius omnia tractata ac
conclusa fuissent, nec vlla in re contra eas
quidquam facturam aut tentaturam. In
cuius rei testimonium sua Maiestas litteris
his subscripsit, & sigillo suo muniri fecit.
Valladoleti, vltimo Iunij.

Alia quædam Approbatio Actis Calendis
Iunij

Anno
1607.

*Quid in Ad-
probatione
Ordines de-
siderarint.*

*Verreickij
excusatio &
postulata.*

Iunij erat inserta, ac pæne iisdem verbis, quantum ad textum, concepta: sed Acta vtraque, quibus binæ hæc Approbationes erant subiunctæ, lingua Gallica copiosius aliquanto perscripta erant, in quorum altero exemplari, quo xxiv. Aprilis Acta continebantur, in præcipua clausula verba hæc omissa erant, *Vnies, en qualité & comme les tenans pour pays Prouinces, &c.* id est, in qualitate, qua pro liberis eas (Vnitas) Prouincijs agnoscimus, &c. Erat præterea ea de qua dicimus Approbatio chartæ tantum siue papyro inscripta & paruo regis sigillo signata, his præterea verbis subscripta, *Toel Rey, i. e. Ego, Rex:* quæ omnia confederati Ordines tanquam parū ad id quod agebatur accommodata, minimeq; convenientia causabantur. Illud quoq; iisdem vehementer displicebat, quod Archidux & Infans totius Belgij Principes ac proprietarij appellarentur: hæc q; scripturæ, vt ipsi volebant, vitia Verreickio cōmonstrabant, qui scriptoris negligentia clausulam illam omissam dicebat, idq; erratum Bruxellis quoq; deprehensum: Archiducem tamen, quod Approbatio regia generalis esset, hanc quoq; vt, concepta est, scripturā Ordinibus mittere voluisse, saltim vt diligentia suæ in promouendo pacis negocio esset testimonium: nec dubitare, quin plenior

Anno
1607.

nior ab Hispaniarum rege scriptura impetrari possit. Interea sex dierum spacium dari sibi rogabat, quo Archiducem huius rei faceret certiorē, & quid fieri hac in re vellet, exquireret. Quo impetrato, & accepto ab Archiduce responso, ii. Augusti iterum in Senatū venit, Ordinibusq; ostendit ea forma tam Acta quā Approbationē esse concepta, vt ijs acquiescere Ordines debeant: Archiducē nihilominus ad regem Hispaniarum de ijs quæ desiderarent Ordines, jam scripsisse, ac breui sperare responsum. Quod vt facilius impetraretur, ac toti negotio nulla remora obijceretur, petebat vt Ordines classem Hispaniæ portus & litora infestantē cōtinuo reuocarent, atq; in hoc saltem Archiduci gratificarentur. Re per aliquod dies disceptata, Verreickius viii. & xi. Augusti tale responsum accepit: Ordines vtramq; regis Hispaniarū Approbationem pro imperfecta, & tam quoad qualitatem & formā, quā quoad substantiā ipsam pro vitiosa habere ac declarare, quod nec in forma qua par erat, vnā cum insertione, extensæ essent, q̄ in Gallico exemplari multa verba omissa, quod nec regis nomine, nec majori sigillo signatæ & munitæ, quod Approbatio non ad totam tractationem pertineret, sed ad quosdam tantum articulos restricta esset, quod deniq; libertas vnitariū

Ordinum responsum.

Anno
1607.

Prouinciarum non eo modo quo ab Archiduce, expressa esset & declarata. His de causis non posse se ad vltiora oblata condescendere, aut in cœpta tractatione pergere, nisi prius de mēte regis apertius aliquid cognouerint. Quo verò de sua regi constare possit voluntate, Verreickio formulā offerebāt, Belgica, Gallica & Latina lingua conscriptam, ad quam Approbatio illa regis esset conformanda. In illo verò extremo gratificaturos se Archiduci promittebant, classem ab Hispaniæ littoribus domum reuocatuos, prædasque omnes quæ post sex proximas à xxiv. Iulij septimanas sui acquisituri essent, restitui curatuos. Cum hoc responso Verreickius xii. Augusti Haga-Comitis Bruxellas profectus est, factis jam tam terra quam mari, tam in Hispania quam in Belgio in octo menses inducijs.

*Diuersa de
pacificatione
hac iudicia.*

De vniuerso hoc pacis negotio dici non potest quam variæ ac diuersæ hominū fuerint sententiæ, vel potius coniecturæ. Multis Hispaniatum regis magnitudinem & potentiam longè maximam intuentibus, incredibile videbatur, fore vt is vnquam in hanc Prouinciarum alienationem consentiret; ideoque existimabant aliud quid sub toto hoc negotio latere. Alij è contra, nihil mirum esse dicebant, si jam olim
centum

Anno

1607.

*Causa que
regem & Ar-
chiducem, ex
quorundam
opinionem,
mouerint.*

centum viginti aureorum consumptis mi-
lionibus, tam multo fuso sanguine, tot mi-
litum repullulantibus seditionibus, in tanta
etiam ærarij inopia, rex tam graui ære alic-
no obligatus, jamque multo quam vñquã
antea maioribus sumptibus in classe contra
hostium littora vndique & portus obfi-
dentium insultus alenda, grauatus, Prouin-
cias, quarum jus jam ante sorori tradiderat,
à se abdicaret, &c. Accedere huc, quod
Hollandi naualibus copijs florentissimi,
non Orientalis tantum, in qua jam veluti
sedem sibi fixerant, sed Occidentalis quoq;
Indiæ thesauros inuolare tentent, non pu-
blicis tantum, verumetiam priuatis merca-
torum opibus ad eam rem vsi, & constituta
in xxxvi. annos societate. Quid enim faci-
lius, quam barbaros illos populos ad defe-
ctionem pertrahere, & contra Hispanos ar-
mare? Iam terrarum illa & maris ac flumi-
num spacia quibus Hispaniarum rex impe-
rat, immensa esse, nec justis præfidijs firma-
ri posse, ad quæ tamen ipsa certis locis alen-
da, itemque ad classem, quæ naues aurum,
argentum, aliaque preciosam ex Indijs
materiam portantes deducat & tueatur,
sustentandam, incredibiles requirantur
sumptus. Sed ne sic quidem mercatores
aliosque quibuscum rex negociatur, illo
metu liberatum iri, ne aliquando Indica
classis

Anno
1607.

*Impedimen-
ta pacis, ex
parte Confe-
deratorum.*

classis in Hollandorum toto mari volitan-
tium manus incidat : eoque parcius post-
hac & cautius in hac negociatione versa-
turos, minusque promptos ad erogandam
regis nomine pecuniam futuros. Pruden-
ter ergo & regem & Archiduces facere, qui
temporibus aliquantulum cedant, & vni-
tarum Prouinciarum, quas armis aliisque
machinationibus frustra haecenus oppu-
gnarint, imperio renuncient : quas si
vel maximè summis viribus oppugnent &
insigni aliqua clade ad extrema redigant,
credibile sit ad Gallorum regis opem ac
protectionem confugituros, sicque peri-
culum fore, ne Hispani ex omnibus Pro-
uincijs eijciantur, &c. Nec deerant qui
Ordines quoque in pacis huius tractatio-
ne simulate omnia agere existimabant :
siquidem alium ea exitum habere non
posset, quam vt Vnitæ prouinciæ sub Hi-
spanorum reciderent imperium. Quare
inducias has potius ad recolligendas vires
quam pacem tractandam factas arbitra-
bantur. Quibus enim viribus, aiebant, sta-
tum & libertatē suam conseruabunt? quo-
modo prouincias diuersas ita constringent
ne diuellantur? qua auctoritate difficulta-
tibus si emergētibus obuiā ibunt? quomo-
do populo persuadebūt vt tributa, sicut ha-
ecenus, exsoluat, præsertim si Archidux ea
suis

fuis remittat? Iam maris imperiū quomodo retinebunt, vectigalibus, portorijs, alijsq; quę Licentię & Salui cōductus nomine solui solent, tributis sublatis? his verò continuatis, ecquomodo negociatio procedet aut florebit? quę plerumq; eò deuoluitur vbi quam minimum tributi & vectigalis nomine exigitur. Artem insuper militarem plane in desuetudinem venturam & oblitteratum iri, nisi milites continuè exercentur. Tum quis religioni cauebit, eamque in quo jam est statu conseruabit? Quod fraltera pars pacta violet, quomodo populus dulcissimis pacis fructibus jam inescatus, ac quietis cupidus, ad bellum rursus accendi & concitari poterit? Quę rationes æris alieni quo Prouincię obstrictę sunt, exsoluendi inibuntur? cuius solutio bello si non aufertur, tamē differtur. Quomodo deniq; qui in magistratu sunt constituti, & ad clauum Reipublicę sedent, contra largitiones & aurum Hispaniense satis armari poterunt? quum nunc etiam id in nonnullis tentatum sit. Hęc aliaq; plura in mediū afferebant, qui pacem hanc vt insidiosam cauillabantur. E contra alij ita disserabant, Quod fructus ex pacificatione Confederatis.

Pacificationem hanc Confederatis Prouincijs & honestam esse & fructuosam, si quidem eius beneficio in plenam eæ tot laboribus tantoque sanguine hætenus defensam

40
Anno
1607

MERCVRII GALLOBELG.

defensam, libertatem restituantur, exemptæ ab omni jure & imperio quod Hispani in eas habuerint, ac proinde è bello quoq; extricata, quod hanc vnâ ob causam, dum scilicet hi libertatem, illi imperium tueri student, tanta hucusque contentione tantisque viribus gestum fuit. Quam verò lætam futuram Reipublicæ faciem, suis legibus ac institutis sese ipsam gubernantis, suisque priuilegijs, immunitatibus & libertate, vt sine iniuria, ita sine cuiusquam contradictione, gaudentis? Principes quidem, tam Hispaniæ regem quam Archiduces, vbi semel juri suo renunciauerint, non facile deinde vllum belli prætextum inuenturos, certe alijs, qui Confederatis hactenus tamquam rebellibus minus æqui fuerant, non probaturos. Iam longum esse, expectare, dum omnes prouinciæ, vrbes & oppida quæ post Vnionem Ultraiectinam Confederatis vel vi vel alijs modis erepta sunt, recuperentur. Et quamuis id eo federe cautum sit, satius tamen esse necessitati, quæ lege caret, cedere, & ea quæ supersunt, per honestam transactionem tuto collocare, præsertim si nihilominus ad optatum finem, Libertatem scilicet, perueniri queat, &c. Quæ verò Archiducem & Infantem, serenissimos Belgij Principes, &c. ad pacem mouerint, hæc ferè & similia nonnulli

Anno
1607.

nulli coniectabant : quod ipsorum res ac rationes valde intricatae erant, quodque subditi exhausti ad pacem intentissime anhelabant, bellorum pertaesi. Sed & plus e pacificatione emolumentum quam Confederati, sperare posse nonnullis videbantur, quippe qui externis viribus magna ex parte bellum gererent, ac proinde parum illud curarent quo praetextu aut quibus conditionibus tractatio susciperetur, quae ut ipsis, tamquam potentiori parti, secundum vulgare axioma, plus commodi allatura, ita Confederatarum provinciarum statum magis perturbatura videbatur : quae nimia libertate insolentiores, factae & supremo vnus, cui assueuerunt, imperio destitutae, ac intestinis factionibus laborantes, mox vltro id quod tot vulneribus totque mortibus prius quesierant, abiecturae essent, &c. Sed quae haecenus a nobis ex aliorum opinionibus disputata sunt, ita velim accipiat lector, ut magis quid politicarum rerum gnari homines senserint, quam quid pars vtraque in hac pacis tractatione spectarit aut sequuta sit, indicare nos voluisse putet.

Antequam vltiora Pacificationis Acta persequamur, si exotica quaedam interferamus, non ingratum Lectori facturos nos existimamus. Anno M. D. XCV. & XCVI. Walterus Ralegius Anglus, maritimae rei

*Angli in
Guianam ca-
lonias desti-
nant.*

Anno. in primis peritus, Guianam, auro ditam
 1607 Americæ regionem primus detexit, & post
 eum Laurentius Keimifchius. Horum ex-
 emplo excitatus Carolus Loëgius, nobilis
 Anglus, ad prædictam regionem Anno
 M. DC. II. iter instituit, eo animo vt colo-
 niam gentis suæ eò deduceret, lecto ad ha-
 bitandum idoneo loco ad Viapogum flu-
 men; idq; ita perfecit. at quum jam secun-
 dum, fratris sui Oliuarij Loëgij sumptibus,
 eò cum familijs quibusdã nauigasset, paullo
 post, cum magna coloniæ parte, vi morbi
 fuit extinctus. Eius audita morte, Oliuarius
 ad supplendam coloniam suam ipsius na-
 uem, quæ tam viros quam feminas eò por-
 taret, ornauit, sub militum præfecto Ca-
 talina, nauarcho autem Arturo Cham-
 berio. Colonia deducendæ princeps erat
 Santionus, eiusq; frater Alexander. qui XII.
 Aprilis Anno M. DC. V. Anglia soluentes,
 atq; Album promontorium (Cabo blanco
 vulgo) præteruecti, tandẽ infulam Maium
 tenuerunt. Ibi exscensione facta, diffidium
 inter nautas & coloniam ortum est, nec sta-
 tim, vti decebat, magistratus negligentia, in
 ipsa herba extinctum. Illata in Maio in sula
 recenti in nauim aqua, impositisq; quinq;
 quos à Gallis piratis ibi destitutos inue-
 nerant, secum Lusitanis, S. Iacobi infulam
 petunt, recentis annonæ spe: qua negata,
 Guianam

*In Maium
 infulam ap-
 pellunt.*

Anno
1607.

Guianam versus iter dirigunt, sed ab optato portu aberrantes, diuq; circumacti, deficente paulatim annona, & morbis ingrauescentibus, nauarchum exorarunt, ut ad terram quęcunq; prima occurreret, exponerentur. Ita ad S. Lucię insulam delati & in terram incultam fere, & à barbaris inhabitatam, expositi sunt, qui locos lætos & amœna vireta Fortunatorum nemorum sedesq; beatas spe & opinione sibi finxerant. In terram egressis insulani satis humaniter, pro ea quam habebant copia, Tabacci folia, gallinas, Potatas, aliosq; id genus fructus Indicos attulerunt: quare inuitati Angli, ægrotos quoq; in terram exportarunt, emtis ab Indico quodam Capitaneo, cui Antonio nomen, Hispanicę linguę perito, ad fluuij ripam quibusdam exstructis tugurijs. Precium pro his ædibus, erat ferrea securis. Hic quum aliquandiu comorati essent, nauarchus, relictis miseris illis colonis, domum redire constituerunt: cum quibus tandem Santionus ita pactus est, ut in terram exponeretur cum semisse eius comeat⁹ qui in nauis supererat cum fortunis omnibus & armis: musqueta insuper siue scolpus maior singulis ibi mansuris donaretur, & maiusculum tormentum, cum decem globis, & quatuor vasculis sulphureo puluere plenis. His acceptis, nauarcho illi apocham dederunt, qua purgare se posset: statimq; LXXVII. viri cum prefecto eorum Santiono

Anno
1607.*Cum suis bel-
lum gerunt.**Iudos in se
conciant.*

Santiono, vnâ cum omnibus quas secum
vexerant, fortunis, in terram sunt exposi-
ti, qui quum contra pactum cymbam cum
tribus nautis detinuissent, à nauarcho, qui
precibus nihil profecerat, ictibus aliquot
maiorum tormentorum, dum in litore ci-
bum capiunt, fuerunt impetiti, quibus ta-
men nemo est vulneratus. Tum illi suum
quoque tormentum contra nauem direxe-
runt: sed nautæ XIX. Augusti vela in altum
dederunt, qui verò remanserant, cum in su-
lanis merces quas aduexerant, pro fructi-
bus, gallinis, pellicanis, alijsq; quæ ad cor-
poris sustentationē faciunt, permutarunt.
Magno autem in primis vsui erat rete, quo
miram piscium copiam quotidie ad litus
trahebant; quibus quum se alijsque insu-
læ fructibus quinque vel sex septimanas
aluissent; tandem summa imprudentia &
temeritate incolarum odium in se conci-
tarunt. Appulsi, legem inter se tulerant, ne
quisquam vllum armorum genus insulanis
venderet aut donaret. Quum verò quidam
Antonio illi Indorum Capitaneo, cuius su-
pra mentionem fecimus, gladium dedisset,
ceteri id ægre ferentes, rursus eum homini
vi extorserunt, quare ille exacerbatus, in-
gentem iræ molem animo versans, nihil
aliud quam occasionem eam in hospites
tam feroces effundendi occasionem quæ-
rebat

Anno
1607.

rebat. Accedebat mox aliud, quod ad su-
am omnium pertinere injuriam & metum
Indi interpretabantur. Angli enim tor-
mentum illud maius in editiori loco collo-
cârant, omniaque ita agebant, vt insulani
eos imperium in se affectare suspicarentur.
Et quamuis nō paucas alienati animi quo-
tidie significationes darent insulani; tanta
tamē erat Anglorum vecordia, vt locum in
quo veluti coloniam sibi constituerant, nō
munirent: quinctiā Santionus præfectus,
auri cupiditate incensus, cum sedecim viris
cymba illa, quam socijs siue nautis suis per
vim eripuerant, conscensa, & septem die-
rum alimonia illata, ad montes quosdam
profectus est, terræ venas scilicet scrutatu-
rus. Quid eo & comitibus actum sit, reliqui
numquam expiscari potuerunt: sed credi-
bile est in itinere ab Indis oppressos & occi-
sos fuisse. Triduo post horum discessum
Santioni frater cum octodecim comitibus
aliquanto propius ad Antonij illius ædes,
à quibus pagus non procul aberat, accedit,
spe alimoniam, in primis lectulos aliquot
Indicos, è gossypio contextos acquirendi.
Affluunt initio pauci, & amicè, vt videba-
tur, cum Anglis colloquuntur: mox verò
cateruatim alijs è proxima sylua & arbustis
erumpunt, & densum sagittarū nimbum in
Anglos effundunt, qui sclopos quidem se-
cum at-

Anno
1607.

cum attulerant, sed magis ad terrorem, quã ad usum. Nec enim globos inferuerant, nec fomites accenderant: ac subito & inopinato barbarorum impetu oppressi, ægre tantum temporis habebant, quantum ad extrahendas è corpore sagittis satis erat. Hoc modo omnes occisi sunt, excepto vno Iano Nicolai, qui huius expeditionis historiam postea scripto commẽdauit. Hic fuga elapsus, tristem de sociorum cæde nuncium ad reliquos pertulit, qui tumultuario opere excitata fossa, & collocata machina, Indos jam in se quoq; irruentes ægre sustinuerunt, nec vetare potuerunt (erant enim supra mille) quin incensis quibusdam tuguriolis, magnam fortunarum & mercium partem cõcremarent. In hac angustia positus, demũ in mentem venit eorum quæ ante tam impotenter quã imprudenter fecerant, quod scilicet tam barbaros homines, in tanta rerum omnium quæ ad vitam sustentandam spectant, penuria, tam leui de caussa offendere non dubitassent; sed in primis, quod tam temere, famis metu, in barbarica & inculta ferè insula, sine vlla spe inde euadendi, confedissent. Iam & præfectum & omnes ferè socios amiserant, ab incolis non modo quidquam alimonix, sed pessima quæq; expectabãt, cymba crepta ipsis erat, creptum erat rete piscatorium; pauca tantũ
supere-

Anno
1607.

Supererant merces aliaque utensilia, quorum parte tandem ab insulani lintrem ex ingenti arbore excavata redemerunt, in quem malo & antenna nostro more ornatum, vnde viginti viri (tot enim ex omni numero reliqui erant) ingressi, xxvi. Septembris, sine magnete, sine armamentis & funibus (quorum loco fascijs cruribus utebantur) trium tantum dierum alimonia instructi fluctibus & ventis sese commiserunt, & solis, lunæ & astrorum ductum sequuti, continentem versus navigare cœperunt. Sic erge cibo omni destituti, jactabantur, præterquã quod interdum aves aliquot in nauiculã decidebant, quas comprehensas, depumatas, & exenteratas, pulvere sulphureo paululum afflabant, atq; ita plus quam semicrudas, vorabant. Potus illis erat aqua pluuiialis, quam ex velo & vestibus exfugebant. Vnus tamẽ modo inedia mortuus est. Post diem decimum terram conspexere, ad quã remis innixi, omnibus viribus contendebant; sed noctis tenebris oppressi, & in scopulos abrepti; naufragiũ fecerunt, ita tamen vt lintre confracto, in scopulos ipsi euaserint. Illucescente die ad insulã, quæ nõ procul inde erat enatant, & miseram vitam testudinũ esu sustentant. Lintre inde cum paucis fortunarũ suarũ reliquijs reperto, & pro præsentis copia restaurato, quinq; mari iterum

*Mari se committunt.**Incredibilia sustinent.*

Anno
1607.

Recreantur.

iterum se credunt, & continentem vno ferè miliari distantem petunt, relictis in prædicta insula ceteris, siti ferè enectis, quum nullibi aquam dulcem vel alte etiã fodiendo, reperire possent. Quinque illi dum traiciunt, multis passim immani magnitudine serpentib⁹, alijsq; hominiuoris belluis conspectis, in terram tamen incolumes peruenerunt, in qua quum vix pedem posuissent, virgula diuina ollam triticea farina repletam inueniunt, quæ cum dulci aqua cocta, ambrosia illis gratior fuit, ita vt rejuuenescere sibi viderentur. Biduo post tres Hispanos cum duodecim Indis siue Nigris obuios vident, qui eorum miserti, non cibum solum subministrarunt, sed & equis impositos Tocaium vsque, quod oppidum tridui aut quatruidui itinere inde distabat, secum auexerunt. Hic quum se paulatim recreassent, sociorum quos in insula reliquerant memores (inter quos & Ioannes Nicolai, huius Narrationis scriptor, fuit) Hispanos orant, vt è suis aliquot eò mittere velint, qui miseros, si adhuc viuerent, inde abducerent. Ita tres Hispani, & vnus ex quinque illis Anglis, ad insulam profecti, præter spem octo adhuc viuos repererunt (ceteri enim inedia & siti extincti fuerant) qui nihil magis quam mortem in votis habebant; sed cibo (quem parcissimè degusta-

Anno
1607.

de gustabant) aliquantulum refecti, altero post die vnà cum fortunarum suarum reliquis in continentem ab Hispanis atque inde Tocaium ad socios abducti sunt. Vbi quum quindecim diebus à tam diuturnæ tam que incredibili inedia & miseria se recreassent, Corum inde ad earum terrarum Governatorem deducti sunt, vt à Belga quodam, qui sedecim annis captiuus ibi asseruatus fuerat, examinarentur. Hic Anglicanæ linguæ aliquam quum haberet notitiam, diligenter eos monuit, ne dicerent se ad Guianæ oras cursum instituisse, sed inuitos eò eiectos. Id enim si facti fuerint, aut capite pœnas luituros, aut ad remos damnatum iri. Quum ergo miseras quas pertulerât, per hunc interpretem miserabiliter exposuissent, (quarum etiam testes Hispani illi erant qui eos adduxerant) tanta commiseratione animos plerorumq; commouerunt, vt quamuis eos, ob diuersum religionis studium odissent, nihil grauius in eos statuerent. E sacerdotum numero quidam, Vos, inquit, si Catholicam sequeremini fidem, tanta passi estis, vt ad Diuorum siue Martyrum numerum meritò adscribi posse videamini; nunc verò quum hæreseos labe infecti sitis, quid aliud credam quam viuos vos esse diabolos? quorum certe beneficio & ope, non

*Ab Hispanis
examinantur*

Dei,



Anno
1607.

Dei, tanta mala tantosque labores à vobis exantlatos persuasum habeo. Quam humaniter nihilominus liberaliterq; per hospitia accepti aliquàdiu & tractati fuissent, duo verò Cori mortem obiissent: quinq; ex eis Cartagenam tamquam captiui missi sunt, magno cum sociorum, atq; etiam ciuium quorundam mœrore: vbi tandem x. Maij Anno M. DC. vi. Francisci Lupi cuiusdam opera atq; intercessione manumissi, Hauanam inde petierunt; inde Garnetus & Ioannes Nicolai cum classe Hispanica aurum & argentum portante, v. Decemb. in Hispaniam, & mense Februario anni sequentis in Angliam appulerunt, tribus è sociorum adhuc viuentium numero Hauanæ, & sex Cori relictis.

Hic exitus fuit maritimæ huius expeditionis, cuius historicam Narrationem tanto libentius heic adscripsimus, vt inde qui talia moliuntur, exemplum sibi caperent, & aliorum periculo euaderent prudentiores, nec temere aggrediendo quidquam, nec temere desperando.

Nunc aliam eiusdem gentis sed ad diuersissimas orbis partes susceptam navigationem attingam. Notum est, quanto per equum Dani, tum Angli & nuper etiam Hollandi in quærendo à septemtrionali siue glaciali mari ad Australem siue Tartaricum Oceanum

*Thomæ Hus-
soni Naviga-
t. o Septem-
trionalis.*



Anno
1607.

Oceanum transitu elaborarint. Certè Daniæ rex hodieq; quotannis naues aliquot emittit, quæ & Gronlandiæ litora diligentius explorent, & si quis forte inde pateat ad Indicum pelagus transitus, inuestigent. Horum exemplo Anglus quidam Thomas Hutsonus, ineunte Maio Angliæ oram soluens, Septentriones versus ad LXXXII, vsq; gradû profectus est, sed glaciæ impeditus, mense Octobri domum redijt. Refert hic nequaquam tam longe Noruegicum litus à Gronladiâ abesse, vt hæcenus fuit creditû, seq; Gronlandiæ litus legentem & cæterorû cornua, & terram musco virentem vidisse; sed ulterius tendere anni tempestate prohibitum.

Virginie in America possessionem ad Anglos pertinere, supra dictû est. Hi enim primi eam aperuerunt, nec quisquam hæcenus ex Europa populus possessione eius quasi ab ipsis desertam, sibi vindicauit. Hæc verò regio satis magnum terrarû spacium complectitur, omnem scilicet oram illam Indiæ maritimam quæ inter xxxiv. & xlv. gradum latitudinis borealis ab Æquatore posita est, itemque continentis partem inter eosdem gradus, vnâ cum omnibus insulis, intra centum miliaria comprehensis. Terra suo ingenio fertilis admodum est, licet inculta jaceat, aër temperatus

Angli colonias in Virginiam destinant.

Anno 1607. & salubris, flumina piscosa, ea denique cœli solique natura, quæ cum optimis regionibus comparari possit. Quocirca Hispanorum æmulatione alijsque caussis moti nonnulli, tam nobiles quam mercatores Angli, regi supplicauerunt, vt colonias eò deducere sibi liceret: quod ille propositum vehementer laudauit, vt pote & ad Dei cognitionem ac cultum propagandum, & ad emolliendos ac ciuilibus moribus imbuendos barbaros commodissimum; & regio ipse fauore promouit. Eorum verò qui instituti huius auctores fuerant, duæ erant societates. In prima erant Thomas Gates, Georgius Sommerus, equites, Richardus Hacludus, Eduardus-Maria Winckfeldius, & alij nonnulli mercatores Londinenses. In altera familiam ducebant, Thomas Hamondus, Ralegius Gilbertus, Gulielmus Packerus, Georgius Pophamus, & alij Bristolenses, Excestrienses & Pleimuthenses ciues. Summam verò totius rei præcipuè curabat Ioannes Pophanus, supremus Iudex & senator in regno Angliæ; cui veluti succenturiatus erat Richardus Hacludus, is qui maritimas Anglorum ad longinqua loca & regna expeditiones diligenter vno volumine conscripsit. Regionem inter jam dictas colonias rex diuisit, & primam inter xxxiv. & xli. Latitudinis gradum habitandi

Rex inter colonias regionem diuidit.

Anno
1607.

habitandi sedem sibi diligere iussit, sic ut
 omnis ager ad quinquaginta miliaria secū-
 dum inferius litus, Occasum versus; & rut-
 sus ad quinquaginta miliaria Anglica se-
 cundum litus superius, versus ortum ex-
 porrectus; tum omnes insulæ à litore intra
 centum miliaria comprehensæ; ac deniq;
 omne id solum quod introrsus per conti-
 nentem ad centum miliaria patet, cum
 omnibus portibus, fluvijs, lacubus, sylvis,
 pascuis, fodinis, &c. ipsorum esset: facta
 eis potestate ibi habitandi, ædificandi, mu-
 nitiones & propugnacula excitandi, addi-
 toque interdicto, ne cui alij, nisi de senatus
 eiusdem colonix assensu, domicilium ibi
 figere liceret. Alteri societati siue colonix
 rex patri latitudine & longitudine qua illis
 tractum inter xxxviii. & xl v. gradum af-
 signavit: ac ne de finibus vlla inter eos lis
 vel disceptatio oriretur, edixit ut quæ no-
 uissima eò commigratura esset colonia,
 centum miliaribus ab eius quæ prima con-
 sedisset limitibus remotam sibi caperet se-
 dem. In horum vtraque senatus constitue-
 retur tredecim virorum, penes quem sum-
 mum esset imperium, & rerum omnium
 administratio, non illa quidem libera, sed
 ad leges à rege præscriptas accommodata
 & directa. Similis tredecim virorū senatus
 in Anglia ordinaretur: isque magnæ Bri-

Leges & im-
munitates.

Anno
1607.

tanniae Regis, &c. Senatus Virginienſis appellaretur: omnes verò Regijs inſignibus & effigie vterentur. Auri & argenti quinta pars, ceterorū mineraliū pars decima quinta Regi cederet. Colonis è quocunq; metalli genere monetā cudere liceret. Nō homines ſolū, ſed fortunæ etiā omnes & bona harū coloniarū in Anglia ab omnibus vectigalibus per ſeptennium eſſent immunia, ita tamen vt ſi quis falſo pro tali ſe vendita uerit, deprehenſus, nauis omnibusque fortunis multetur. Nemini alij, colendi vel habitandi ibi gratia eò commigrare liceret: quod ſi qui id tentauerint, colonis vi eos prohibere atque expellere fas eſſet. Si qui Angli negociandi cauſa eò nauigare uoluerint, id eis permitteretur, ſed hæcenus vt de centenis binos & ſemis portorij nomine perſoluant, peregrini verò quinos: idq; vectigal in coloniarum uſus viginti proximis annis impenderetur, poſtea regio fiſco inferretur. Liberi in prædictis colonijs nati, pro liberis Angliæ ciuibus haberentur, eorumque priuilegijs & jure gauderent, &c.

Naues exploratorie præmittuntur.

His ita conſtitutis, prius naues aliquot præmiſſæ ſunt, quæ commoda habitatio- ni loca explorarent: quarum vna exeunte ſuperioris anni hyeme ab Hiſpanis intercepta fuit, & vectores male habitati. Primo autem huius anni vere Neoportus quidam
Capita-

Anno
1607.

Capitaneus, à prima colonia, quæ Australem se appellat, cum centum & quinquaginta viris eò missus est, Eduardo-Maria Winckfeldio societatis res procurante, dum integræ familiæ, vxores scilicet cum liberis, eò transveherentur. Hi feliciter in Virginiam appulsi, vectorum partem ad magni cuiusdam & amœni fluij ripam exposuerunt, & pulsos quos paucos ibi repererant Indis, triquetra forma propugnaculum construere cœperunt, terræ etiam aliquot jugera frumento Indico quod Maitz vocant, conseruerunt, & in montes profecti, inter alia multum crystal-
li montanæ inuenerunt. Neoportus, relictis in prædicto loco centum viris, & nauicula, quinque septimanarum spacio in Angliam reuersus est, allatis inter cetera, mineralium aliquot speciminibus, in quibus tamen parum felicioris materiæ hætenus artificum industriâ potuit deprehendi; nec non lignorum aliquot generibus, & alijs quæ nostris hominibus raritas commendat. Aiebat idem, fluuium apud quem centum illi coloni confederent, piscibus supra modum scaterere; tum inter varia arborum genera vidisse se vites, viri crassitudinem æquantes, & arboribus alte superincumbentes.

Atq; hic quidem duplex hoc anno An-

D 4

glorum

Anno
1607.

glorum fuit in colonijs ad Nouum orbem mittendis conatus, quorum ille in Guianam infeliciter cecidit; quem verò hic & prudentiori consilio & maioribus viribus cceptus, successum sit habiturus, tempus docebit.

*Due naues
Hollandorū
ex India
Orientali re-
uertuntur.*

Hoc eodem anno, mense Iunio binæ Hollandorum naues ex India Orientali domum redierunt; altera quidem quinto postquā ex Hollandia soluerat anno. Hæc prætorica fuerat Vibrandi Varuici, eius qui xiv. nauium classi in Indiam nauiganti præfectus fuerat. Naui nomen Hollandia; illi alteri Durdrechtum. Cum Varuico è centum quinquaginta classiarijs & vectoribus, sexaginta redierunt, ceteris vi morbi absumtis. Causa tam tardi reditus fuit, quod naus vtraque medio in cursu fatiscere incipiebat: eoque Varuicus & Riemelandus (hoc enim alteri nauarcho nomen) ad Mauritium insulam cursu instituto, naues ibi subdixerunt, & exoneratas repararunt, mira sane industria & arte: quippe in insula ab omni hominum cultu deserta. Hic nihilominus Hollandi tuguria ad inhabitandum sibi ædificarunt, tum capaciores etiam domus exstruxerunt, quibus merces exportatæ à cœli iniuria defenderentur: inde binis constructis officinis ferrarijs, magnam vim ferramentorum ad præsentem
vsus

Anno
1607.

vsus necessariorum fabricati sunt, clauorū
scilicet magnorum vltra viginti milia, alia-
que id genus quibus ad nauium structuram
opus est. Prætoria Varuici nauis tantoperè
erat concussa, vt integram puppim nouam
fieri oportuerit. Reparatis hoc modo na-
uibus, merces iterum imposuerunt, quæ
preciosæ sane erant, aromata omnis gene-
ris, sericum, factum atque infectum, alia,
quorum magnam partem Varuicus ex in-
tercepta & spoliata Lusitanorum Liburni-
ca acquisiuerat, in ipsis ferè Chinæ finibus,
ad Patanam scilicet, cuius loci Regina, Lu-
sitanis itidem parum amica, prædam ad se
pertinere quum prætenderet, Varuicus pe-
cunia alijsq; muneribus eam placauit. Præ-
ter moram quam nautas hos in Mauritio
insula traxisse diximus, iidem totum ferè
trimestre in S. Helenæ insula subliterunt.

De Mauritio insula (Docernen sunt qui
appellant) Varuicus qui circuitum eius e-
mensus est, hæc ferè retulit: Ambitum eius
esse sexaginta trium circiter miliarium.
Flumina habere multa in mare decurren-
tia, & aquationi opportuna. Solum ad sata
aptum; sed humile plerisq; in locis, & syl-
uosum. In syluis magnā esse ebeni copiam.
Omni piscium & volucrum genere abun-
dare: sed nullum animal alere quadrupes,
nisi incredibili magnitudine testudines;

D 5

quarum

*Insula S.
Mauritij, de-
scriptio.*

Anno
1607.

quarum carne Hollandi plurimum ad vescendum sunt vsi. Iidem fues, capras, boues in insula reliquerunt: quorū tamen adhuc incomperta est fecunditas. Quadringentas etiam arbores malorū aureorum & Limonum feraces iidem plantarunt. Sponte ibi nascuntur nuces Indicae, quas Cocos vocāt, palmae, & palmitae, ex quibus vinum faciunt Indi. Testabatur Varuicus, vltra decem milia arborum variij generis à suis casa ad casas ædificandas, naues reparandas, faciendos carbones, &c. Et vt vno verbo dicam, Insulam hanc multo & fertiliorem esse & commodiorem Insula S. Helenæ.

*Hollandi
classem in
Indiam orientalem ador-
nant.*

Etsi verò in Hollandia maximè feruebat pacis tractatio, adeò vt plerique omnes bene sperare inciperent: societas tamen decennalis mercatorum qui in India orientali negociari solent, tredecim egregiè ornatas naues eò iterū ablegarunt, eique Petrum Gulielmi f. Verhufium, qui in pugna nauali ad Gribalterrā strenue se gesserat, præfecerunt. Harum nomina erant, Hollandia, quingentorum onerum capax, nauarcho Simone Hunio: Prouinciæ confederatę quadringentorū, nauarcho Theodorico Iacobi: Amsterodamū, quadringentorum, nauarcho Petro Gerardi F. Ruber Leo, sagittarum colligatarum fasciculum vngue tenens, ducentorum nauarcho, Ioanne

Anno
1607.

Ioanne Valichsio: Aquila, centum, nauarcho Rutgero Thomæ: Pauo, centum, nauarcho Bartholomæo Gisberti F. Mittelburgum, quingentorum, nauarcho Cornelio Leonardi F. Selandia trecentorum, nauarcho Gulielmo N. Falco, centum, nauarcho Cornelio Adriani F. Delphi, quingentorum, nauarcho Simone Martini F. Roterodamū, quingentorū, nauarcho Ioanne Cornelij F. Wittio: Gryphius, centū, nauarcho Ioanne Van-dickio: Horna, quadringentorū, nauarcho Martino Ioannis F. Clutio. Ex his sex ad Chinæ regnū aliæ aliò cursū instituere iussæ sunt, milite omnes, annona, mercibus, pecunia signata (cuius summam vltra centū Philipicorum milia aiunt) omnibusq; ad tam longam nauigationem necessarijs abunde instructæ. Classis hæc mense Decembri ex Hollandia soluit. Præter has verò tredecim naues, societas xxviii. alias in India habebat, ita vt vna & quadraginta jam ibi negociantur: qui sane magnus est numerus. Sed jam, ne & nos cum colonis illis in Indijs figere domicilium velle videamur, in nostrum orbem vt redeamus tempus est.

Quomodo Verreickius, serenissimorū Alberti & Isabellæ Archiducū Audiētari⁹ & quali cū responso Haga-Comitis discesserit supra indicatū est. Ei, antequā discederet, Barne-

*Munera sua
dona spreca.*

Anno
1607.

Barnefeldius Hollandiæ Aduocatus Ordinum nomine exposuit quomodo P. Ioannes Najus Commissarius donis & muneribus quosdã corrumpere tentarit, & prolati etiam & in medio positis jam dictis donis, quæ erant: Litteræ collybisticæ, continentes quinquagies mille ducatos, Adamas, cuius precium decem florenorum milibus æstimabatur, vnà cum torque aureo: quæ quidem Najus Arsenio Ordinum Actuario vel Graphiario dederit, sed is non nisi scientibus atque assentientibus Principe Mauritio atque Ordinibus ea se accepturum professus est, neque tamen sic hominum suspiciones & vuculas effugere potuit. Hæc omnia, vti diximus, in medio posita, auferre secum iussit, & reddere ijs vnde profecta essent: addens, rogari ab Ordinibus serenissimos Principes, vt si pacis tractatio cordi ipsis esset, eiusmodi machinis ac telis ne posthac erga quemquã suorum, cuiuscunque ordinis aut dignitatis is esset, vterentur. Senatū quidem vtrumq; tam eorum qui Status generales, quam qui Consiliarij Statum vocantur, è tam diuersis tamque diuersarum Prouinciarum constare personis, vix vt corruptioni locus sit; immo si vel minima in quemquam incubuerit suspicio, numerum statim duplicatum iri. Verreickius hæc ita excusabat, vt diceret,
P. Najum

P. Najum Commissarium, si tale quid fecerit, procul dubio ex suo vnus consilio ita fecisse, qui quum nihil magis quam pacem promotam cupiat, & verò certum sit in quorundam auctoritate multum esse momenti, his etiam remedijs vtendum sibi putarit: ac quum personæ ecclesiasticæ vt plurimum ad rem attentæ atque opum auidæ sint, è suis etiam aliorum ingenia æstimasse. Hæc Meteranus, penes quem fides esto.

Anno
1607.

Decimo quarto die Octobris Ordinibus redditæ sunt litteræ ab Ambrosio Spinola X. eiusdem mensis scriptæ, quibus significabat, Approbationem illam siue Ratificationem ex Hispanijs allatam, petens vt P. Najo Commissario, & Audientario Verreickio Hagam-Comitis sub ipforum saluo conductu comeandi potestas fieret. Qua impetrata, prædicti Commissarij xxiv. Octobris Hagam venêre, ac statim sequenti die ante meridiem ad concilium Ordinû generalium introducti, Ratificationem seu Approbationem Hispaniarum regis, xviii. Septembris Madriti datam, in charta siue papyro conscriptam, his verbis *To el Rey* subsignatam, ac sigillo quali publica Edicta solent, consignatam &c. exhibuerunt. Inserta huic erat illa ab Archiducibus facta Declaratio, Hispanicè conscripta; & sub ea hæc

Approbationis formula ex Hispanijs allata.

Anno
1607.

hæc ferè Regis: Quandoquidè in prædicto tractatu Albertus & Isabella Archiduces &c. promiserint, se Ordinibus suam (Regis scilicet) Ratificationem ac similem Declarationem, cum omnibus generalibus & particularibus renunciationibus & obligationibus exhibituros: se (Regem) post maturâ deliberationē, ex certa scientia, & absoluta regia potestate, ad satisfactionē huius promissi & confirmationē principalis de pace vel diuturnis inducijs tractationis, erga eosdē Ordines fecisse, & hoc ipso facere similem Declarationē, qualē jam ante Archiduces fecerant, ac qualis supra continetur, quantū quidē sua interesset: & acquiescere vt cum prædictis Ordinibus tractatio instituatür tanquā cum ijs quos ipse pro liberis Ferris, Prouincijs & Statibus habeat & agnoscat, & in quos nihil ipse juris prætendat: acceptare insuper & cōfirmare omnia & singula capitula in prædicta Archiducū Declaratione contenta, ac in verbo & fide regia polliceri, facturū vt ea omnia & singula obseruentur, custodiantur & efficiantur, non secus ac si ab initio à se ipso declarata, concessa, promissa, aut sua interuentione & auctoritate acta & conclusa essent, neq; quidquam contra ea fieri permissurū, sed si quid siue directe siue indirecte contra ea fiat aut contraueniatur, id reparari facturum: adq;

hoc

Anno
1607.

hoc obligare se in verbo regio, cū omnibus generalibus & particularibus renunciationibus & obligationibus, ad hoc requisitis: conclusa denique pace vel longis inducijs, omnia quę ad eius vel earū obseruationem necessaria fuerint, optime curaturū atq; expediturū, sic vt predictis Statibus in omnib; perfectē satisfiat, &c. Hac tamē annexa Declaratione seu protestatione, si principalis tractatio de pace vel longis inducijs, in qua de ijs quę inter partes tā in materia religionis quam alijs quę cōtrouersa, sunt agetur, minus procedat, neq; vel pax vel tales inducię fiant, præcedentē suā Declarationē vel Ratificationē nullius esse momēti, sed perinde ac si nunquā facta fuisset, haberi, neq; ob eam quidquam de jure suo decedere, neq; Statibus accedere, sed omnia, quantū ad jus vniuscuiusque, in eo statu quo iam sunt manere debere, permissa cuiq; de rebus suis quod visum fuerit statuendi facultate, &c.

Scripti huius Hispanici in hac Cōmunicacione siue conuentu Najus & Verreickius bina exempla Ordinibus tradiderunt, Gallica vnū alterū Belgica lingua conscriptum: tum P. Najus multa de sincera regis hoc in negocio voluntate atq; animo testatus est, cuius non obscurū illud esse indicū aiebat, quod Consiliariorū suorum iudiciū & calcu-

*Hispani regis
sinceritas.*

Anno
1607.

& calculum huc quoque accedere voluerit, tanto vt validiora omnia essent, minusque suspecta; etiam post mortem regis: eoque valde laudandum esse quod seipsum explicet, suamque mentem simpliciter aperiat ac denudet, non vltterius se obstringens quã ad ea quæ ipse seruare & ab alijs seruari facere velit: quod profectò si astu rem tractare instituisset, nunquam facturus fuerit. Similia ferè de Archiducum sinceritate, ac imprimis de ardentissimo eorum pacis desiderio Verreickius protestatus est, quod quidem ex omni hac actione elucescat, quod in omnibus ad ea quæ Ordines quoque modo petere aut voluerint aut potuerint, sese accommodarint, &c.

*quid Ordines
in formula
illa desiderarint.*

Ordines confederati accepta exemplaria quum inspexissent ac perlegissent, iterum caussati sunt Ratificationis hanc formulam tam in tenore quã in forma vitiosum esse. In tenore quidem, quod multa verba essent omiſſa, nec ita posita, prout petierant. In forma verò, quod nec ipso Regis nomine esset consignata, nec chartæ Pergamenæ, sed papyro, adeoque negligenter valde inscripta. Mox eandem & Franciæ & magnæ Britanniæ regum legatis inspiciendam atque examinandam dederunt: quorũ audita sententia xxvi. Octobris cum P. Najo & Verreickio Archiducũ
Com-

Anno
1607.

eisque prædicta, vti ipsi videri volebant, vitia ostenderunt, quærentes, Ecquæ alia approbationis vel Ratificationis formula expectari possit aut debeat? Quum illi nullam aliam respondissent, sed si quid dubium forte aut intricatum occurrat, in principali tractatione explicandum ac decidendum. Tandem re in concilio Ordinum, ac cum prædictorum Regum legatis ipsoque Comite Mauritio deliberata, II. die Nouembris Archiducum Commissarijs hanc in sententia est responsum; Litteras illas ratificationis, in capitibus illis articulatim jam ante ostensis, non tantum quoad linguam & stilum, verum etiam subscriptionem & sigillationem, itemque insertionem & omissionem multorum verborum, promissis nequaquam esse conformes: immo ex annexa illis clausula, simulque verbis P. Naij Commissarij, omnium etiam solenniter ibi promissorum annihilationem exterebrari posse. Tam enim Regi quam Archiducibus certo certius constare, Confederatarum Prouinciarum, tamquam liberarum, & in quas nihil ipsi juris arrogare sibi possent, Statibus satis virium esse, ad tuendam cum Dei & Confederatorum ipsis Regum Principum ac Re-
rum publicarum auxilio, earum jus, statum & libertatem, nec quidquam quod eò per-
E tineat

Anno
1607.

*Ordines ad
tractationem
consentiunt.*

tineat, à rege aut Archiducibus si ad principalem pacis vel induciarum tractationem deueniatur, in disceptationem vocari posse, nisi illa solenniter & formaliter premissa reuocata cupiant & sublata. Quamuis igitur ex ipsa approbationis & propositionis, à R. P. Najo factæ formula non leuis Ordinibus iniectus sit scrupulus, quo minus in cœpta tractatione pergendum sibi existiment, tamen ne tam pium negocium (cuius vnicus scopus & finis sit ab vniuersis Belgij prouincijs bellum tam diuturnum tamque cruentum propulsare, & optatam Pacem tandem aliquando reducere) impediatur, velle Ordines prædictas litteras quantum ad ratificationem promissorum ab Archiduce factorum, nec non regis declarationem, annuentis, vt suo nomine cum Ordinibus, tamquam liberarum & sui juris prouinciarum, & in quas nihil ipse prætendat, Statibus, sub omnibus tam generalibus quam particularibus renunciationibus & obligationibus ad id requisitis tractatio suscipiatur: velle se, inquam, prædictas Litteras Reipublicæ suæ membris & ciuitatibus, vbi & quibus oportet, proponere, & post sex septimanas DD. Commissarios & delegatos certiores facere, vtrum ad tractationem condescendere velint, vel minus, cum aperta protestatio-

Anno
1607.

testatione nec jam nec deinceps quidquam
admissuros vel acceptaturos, quod vlllo
modo, directè vel indirectè, sapredictæ
Ratificationi & Declarationi, itemque
Archiducis promissis contraueniat aut re-
pugnet, aut vt contraueniens & repu-
gnans explicari possit. Quod si placuerit,
post prædictam Ratificationem, vel aliam
eius formam ab Hispaniæ rege impetran-
dam (cuius quidem spem Archiduces fe-
cerint) Ordinibusque exhibitam, Tra-
ctationem de Pace vel inducijs auspiciari,
confidere omnino Ordines, nihil nec Hi-
spaniarum regis, nec Archiducum nomine
propositum iri, quod ad Vnitarum Pro-
uinciarum aut subditorum salutē, statum
& rempublicam Ordinandam in minimo
pertineat. His conditionibus si agere pla-
ceat, rogari Archiduces vt intra decimum
diem post has acceptas litteras idoneos
homines (tales scilicet quales ab initio
delegaturos se polliciti sunt) Hagam. Co-
tis mittant, plena cum potestate atque au-
toritate; suamque sententiam aperte
declarent: tuncque ab Ordinibus etiam
aliquos pari cum potestate atque auctori-
tate deputatum iri, qui cum eis congredi-
antur, tractationemque suscipiant.

Responsum hoc Ordines tertio die No-
uembri

E 1

uembri

Anno.
1607*Mira Patris
Naij seduli-
tas.*

uembris P. Najo & Verreickio dederunt, simulque rogarunt, num litteras Approbationis authenticas Ordinibus exhibere vellent: in quo quum aliquantulum tergiversarentur, nec tamen ipsas litteras secum rursus asportare, (quod Ordines haud grauate laturo videri volebant) consultum ducerent: dierum aliquot spacium petierunt, quo P. Najo Bruxellas excurreret, Archiducum hac in re voluntatem exquisiturus. Sic ergo v. die Nouembris iter ingressus, xiv. Hagam redijt: ac postridie vnà cum collega Verreickio, ab Archiduce mandatum sibi ostendit, vt litteras Ordinibus traderet, his tamen conditionibus, vt traditas eas, documentum (quod nostri *Recepisse* vocant) darent Ordines, eodem quoque declararēt ac testarentur, Archiduces promissis hac in re satisfecisse, ac denique si Pacis vel induciarum tractatio non procederet, earum restitutionem pollicerentur. Harum conditionum altera & tertia Ordinibus minus placuerunt. Nam & promissis nondum ab Archiducibus satisfactū caussabantur, qui nullas adhuc litteras nullamque scripturam sine *Si* vel clausula, vt polliciti fuerant, protulerint: neque vllam caussam se videre, cur ad restitutionem eius, quod sua natura, si tractatio non concludatur, inualidum sit seque ipsum euer-

tas

Anno
1607.

tat atque annihilaret, obligare se debeant. Heic Commissarij ringi, ac dicere, Nihil iniqui Archiduces petere, nec aliud se in mandatis habere. At quum Ordines in sua sententia persistere animaduenterent, rursus dies aliquot sibi dari petierunt, quibus idem Pater Commissarius Bruxellas proficisceretur, quidque Archiduces fieri velent, exquireret. Quum ergo xvii. die rursus in viam se dedisset, xxix. eiusdem mensis Hagam reuersus, ab Archiducibus mandatum sibi renunciauit, vt sine vlllo documento (*Recepisse*) ac sine vlla conditione littere Ordinibus traderentur. Quo facto, secundo Decembris Haga Bruxellas versus iter ingressi sunt: neque toto hoc tempore de muneribus & donis, quibus animos quorundam corrumpere voluisse ante Verreickio exprobratum fuerat, vlla, presentis ipso, facta est mentio.

Iam ante decimo scilicet Nouembris, eorum qui extra ordinem ab vniuersis Prouinciarum confederatarum Statibus, ad deliberandum ea de re de qua agebatur, conuocati fuerant, solutus erat conuentus.

Ordinum conuentus extraordinarius soluitur.

His mandatum vt ad suas quisque Prouincias & ciuitates redirent, & earum communitatibus formulam illam Approbationis ceteraque quæ acta erant, ostenderent, ac rogarent, vtrum his, aut quibus alijs con-

ditio-

Anno
1607.

*Littere Caf.
Maieft ad
Ordines.*

ditionibus tractationem suscipi vellent: acceptisque mandatis, x. Decembus Hagam reuenterentur, amplius deliberaturi. Paulo antequam discederent, litterae à Caesarea Maieftate, ix. Octobris scriptae, in eorum conuentu lectae & recitatae sunt, hoc argumento: Nemini obscurum esse, quantum inclitae memoriae Imperator Maximilianus II. in componendo hoc tam funesto bello pacandisque prouincijs desudarit: sed neque se filium eius, ullis unquam laboribus aut sumptibus in eadem re & studio pepercisse. Vehementer ergo mirari, hac in re quidquam suscipi aut tractari sine ipsius interventione atque auctoritate, quem neque verbo certiores eius fecerint: quum tamen Ordines non ignorent, Belgij has prouincias tamquam feudum à se & Sacro Imperio Romano dependere, quod etiam ex Archiuis, Inuestituris, Indultis, Concordatis & Imperij Recessibus abunde probari possit. Illud ergo cogitarent secumque perpendere Ordines, in rebus ad tam insignem tamque nobile feudum spectantibus, nihil disponi aut rite agi posse, sine suo, tamquam supremi feudatarij, consensu & notitia. Quod si quid contra fiat vel praesumatur, quo feudi natura mutetur, nullius id esse valoris, etiam secundum vulgaria feudorum statuta. Monitos ergo velle Ordines, vt quam primum

Anno
1607.

num sibi in quo statu res sit, & an, & quo-
vsque in tractatione progressi sint, signi-
ficare velint, vt suum atque Imperijus,
quantum eius interest, defendere actueri
possit: tum ne sine ipsius consensu in cœ-
pta tractatione pergant, neque quidquam
concedant, quod ad suum & Imperij per-
tineat præiudicium & detrimentum. Has
litteras alij aliter, pro suo quisque captu &
ingenio, interpretati sunt: præsertim qui
paci iniquiores erant, pulchram sibi occa-
sionem vniuersum tractationis negocium
calumniandi, nacti videbantur, id scilicet
agi dictitantes, quomodo ea, quæcunque
hactenus concessa essent, aut porrò etiam
concederentur, in dubium vocari, & tam-
quam illegitime & contra jus facta, euer-
ti possent. Alij verò, Cæsarem, dicebant,
quum videret rem inibi esse vt hac tracta-
tione Vnitę prouinciæ à domo Burgundi-
ca auellantur, studere eas ad Imperium re-
trahere, quarum sane accessione negari
non potest, quin multo validius esset futu-
rum.

Interea ex omnibus prouincijs & ciuita-
tibus quæ suffragij jus habent, delegati *Ordines rur-*
Hagam-Comitis confluerant, quorum *sus congre-*
mandata ferè eò spectabant: Non obstan-
tibus scripturæ illius Approbatorix vitijs, *gantur.*
tractationem siue de pace, siue de diuturnis

Anno
1607.

*Scribunt ad
Archiduces
de mittendis
delegatis.*

inducijs, cum alterius partis Commissarijs & deputatis esse suscipiendam, sic tamen vt fundamentū illud libertatis inconcussum seruetur, neque quidquam vel Hispaniarum regi vel Archiducibus concedatur, tam in statu religionis quam reipublicæ, quo supremum Prouinciarum jus & imperium minui aut deterius reddi queat. Re igitur per dies aliquot in Statuū concilio, cui præter Mauritium & Gulielmum Nassouios Comites, Gallix, & magnæ Britannix & Daniæ regum legati quoque intererant, agitata: Ordines per litteras xxiv. Decembris scriptas Archiduces monuerunt, Si ita videretur, idoneos aliquot homines ad se Hagam ablegarēt, quibuscum (sed repetita protestatione & declaratione, responso ipsorum ii. Nouembris dato inserta) ad tractationem descendere velint. Id si ita placeret, intra decimum diem cum plena potestate atque auctoritate tam Hispaniarum regis quam Archiducum nomine suos mitterent: se pari numero ac potestate è suis quoque aliquot delecturos, eum in finem, vt omnis tractatio breui absolueretur.

*de profere-
rendis inda-
cijs.*

Quoniam verò induciarum finis, ad iv. scilicet Ianuarij diem, instaret, illud se Archiducum considerationi relinquere, vtrum consultū esset eas in mensem vnum

aut

aut sex septimanas prorogare, si quidem ad tractationem essent condescensuri: in quo casu has litteras pro expresso suo consensu haberi velint, modo idem tam Hispaniarum rex quam Archiduces se velle, Rescripto ostenderent. Harum litterarum exemplum Ordines ad P. Najum & Verreickium quoque transmiserunt, rogantes, vt authenticas Archiducibus exhiberent, & si Archiduces missuri aliquos essent, numerum eorum, nomina, & diem profectiois significare ipsis non grauentur.

Initio statim huius tractationis Ordines legatos in Daniam miserant, quos rex non comiter tantum, sed magnifice etiam & regaliter excepit, & aureo torque donatos humanissime dimisit. Causa legationis erat, rogare regem vt e suis aliquot delegaret, qui Pacis tractationi interessent. Quod quum rex annuisset: tertio Decembris Haggam venerunt, Iacobus Vlefeldius ab Vlefeldsholm, regni Consiliarius, & arcis Hagens-Kauiensis praefectus, & Ionas Charifius, Iurisconsultus, cum honesto admodum nobilium & ministrorum comitatu. Hi sexto Decembris, multa de singulari regis sui erga Vnitas Prouincias affectu ac benevolentia praefati, legationis suae causam exposuerunt, missos scilicet se a rege, vt in tam graui negotio cum Ordinibus senten-

E 5

tias &

Anno
1607.*Dania regis
legati Hagā
veniunt.*

Anno
1607.

*Electoris
Brandenburgici.*

*Palatini
septemuirii.*

*Tergemini
vno partu
editi.*

tias & consilia communicarent, & vnitarum Prouinciarum, adeoque vniuersæ Christianæ reipublicæ commodis confulerent.

Paullo post, XIX. scilicet Decembris, ab Electore Brandenburgico venit legatus, Hieronymus à Diskou, hæreditarius in Quees, &c. à secretioribus consilijs: sed is, nec legationis suæ causam pro more proposuit, nec concilio, vel deliberationi, licet vocatus, interesse voluit, quod Palatini Septemuirii legatum expectandum sibi diceret, cum quo iussus sit consilia conferre.

Anno exeunte, XXIX. Decembris, Frederici IV. Palatini, Electoris legatus, Hippolytus à Collibus, Consiliarius, & Iudex aulicus, Hagam venit, vt cum aliorum Regum ac Principum legatis futuræ tractationis esset arbiter & veluti sequester.

Per eos dies, XXI. Decembris Hagæ sellularij hominis vxor mira ac rara fecunditate vno partu tres puerulos enixa est, quos è baptismo quo ipso die Christi Natali tincti sunt, Gallia, Angliæ, & Dania regum legati, Mauritius, Henricus, & Guilielmus Nassouij Comites, vnà cum tribus præcipuæ nobilitatis feminis, susceperunt. Quæ fecunditas si in reliquas feminas quoque per omnes illas Prouincias per-
uulge-

uulgetur, Ostendanae obsidionis strages breui possit refarciri.

Nunc è Belgio in Austriam & Hungariam transeamus, vbi hoc & sequenti anno mirifice turbatum est: quarum turbarum originem paullo altius repetemus. Mortuo superiore Turcarum tyranno, Bajazetes adolescens, purpuratorum quorundam suafu, ad pacem respicere cœpit: multas ob causas, sed imprimis ob domesticas seditiones, & crebras Persarum regis victorias. Pacis mentionem non Hungari tantum, sed Austrij etiam libenter audierunt: eoque illi quidem Posonium, hi verò Viennæ omnium Ordinum comitia indixerunt. In Viennensibus comitijs Cæsaris nomine Archidux Matthias, multa de summa eius cura & sollicitudine in promouendis subditorum commodis, præfatus, sequentia capita Statuum delegatis proposuit; Primo petere Cæsarem, vt ad tuendos ditionum suarum fines, hoc etiam anno duplum tributum iisdem quibus superiori conditionibus, conferatur. Si hostis ingruat, vt copiarum auxiliares, x. peditum scilicet. Germanorum signa, tricentum virum, & x. equitum turmae, quingenum, Ordinum stipendijs conducantur. Idonei homines militaribus munij præficiendi sustantur, & subditi

Res Hungarica.

Comitia Viennæ Ordinum Austriae.

in ar-

Anno
1607.

in armis, vt tanto ad defensionem fuit paratior, exerceantur. Annona diligenter curetur. Contra Turcarum, incurfiones maximè præfidij Canifani fines diligenter muniantur. Ad ruinarum Iauarini & Viennæ reparationem sumptus contribuuntur. Vt pace facta, immenfis omnium rerum exaggerationibus modus ponatur. Vt rationes incantur, quibus vagi milites & mendicabula exterminentur: quibus rei monetariæ consulatur: quibus æs alienum diffoluatur. Ad quæ omnia & fingula Austriæ vtriusq; tã supra quã infra Enfam, Ordines fatis liberaliter responderunt, ita tamen vt pacis eos, tam cum Turcis quam cum Hungaris cupidos effe facile appareret.

*Comitia Pofonij
fue
Presburgi.*

Per eodẽ dies comitia Hungarorum Pofonij agitabantur, ad quæ quum diu qui Cæfaris nomine præffet nemo compareret, Hungari, moræ pertæfi rebus infectis difcedere conftituerant, ac vix multis precibus ab Archiepifcopo eius loci perfuaderi eis potuit, vt ad xv. vſque Septembris exspectarent, hac tamen conditione, vt fi interea Archidux Matthias, Cæfareæ Majestatis Vicarius non adueniffet, omnibus difcedendi libera eſſet facultas. Trepidum enim nuncium tum nonnulli attulerant; magnam Tartarorum multitudinem ad Huſtam Tranſyluanix oppidum cum vxoribus

Anno
1607.

ribus & liberis confedisse, ac locum sibi ad habitandum non sine minis petere. Budam quoq; tanta vis Turcicorum militum confluerat, vt jam vrbe eos non capiente, sub papilionibus extra urbem quiete morarentur; ne nostris vllam belli renouandi, aut inducias violandi causam præberent. Beglerbegus quoque siue Græciæ præses bis mille equites Pæstum adduxerat, vt pace non procedente, in omnes occasiones tam nostros opprimendi quam suos iuuandi, esset intentus. Nostri nihilominus quotidie ferè excurrerant, prædasque agebant: qua de re Bassa Budensis, missis ad Archiducem litteris, grauitè est conquestus; & quamuis vehementer esset irritatus, adeoq; satis causæ per nostros quoque fines grassandi habere se diceret, eas tamen iniurias singulari pacis studio quo flagrabat cõdonaturum se simulabat. Interim verò Hungarorū, præsertim procerum quorundam animos clam sollicitabat, sic vt multi à nostris deficientes, Turcis se adungerent. Sed de horum Comitiorum exitu infra.

Quomodo Marpurgi ob mutatā à Lant-
grauio Mauritio religionē tumultus fuerit
exortus, præcedentibus libris dictum est.
Quum verò agnatus ipsius Ludouicus qui
Darmstadi habitat, & Lutheranam sequi-
tur religionem, Scholam illam Calviniano
dogmate,

*Giesse vni-
uersitas siue
Academia
erecta.*

Anno
1607.

dogmate infici doleret, Giesſæ ludum literarium aperuit, impetrata à Caſare Rudolpho facultate, amplis cum priuilegijs quumq; ſolenni eorum promulgationi octauum Octobris diem dixiſſet, literatos quidem omnes ad actum iſtum clementer inuitare ſequenti programme voluit.

*Programma
Nauæ Vni-
uerſitatis
Gieſſenæ.*

Scholas in ipſa natura, quæ homines ad cognoscendum & diſcendum, ad inueniendum & excogitandum, & quod ſtudio ac induſtria cognitum, inuentum & excogitatum eſt, cum alijs communicandū formauiſſet & inſtituit, ſeminarium habere atque illarum tanquam docendi & diſcendi officinarum ac ludorum Deum autorem eſſe, non eſt dubium. Quod ſi autē ab ipſa mundi origine omnium ætatum ac ſeculorum historias percurramus, Scholas ab ipſis ſanctis Patribus ante & poſt diluuium inſtitutas, ab ipſo Deo, Sacerdotibus ac Leuitis in V. Teſtamento, docēdi & interpretandi legem in Scholis officium concreditum, à Prophetis Spiritu Domini illuminatis exercitatū, à Chriſto ſummo Propheta ac doctore, qui non ſolum anno ætatis ſuæ duodecimo docentiū ac diſcentium cœtui ſe mediū inferre dignatus, & poſtea miniſterio docendi publicè perfunctus, Scholas ac Synagogas ingreſſus eſt, ſed & ipſe duodecim

Anno
1607.

sim Apostolorum & septuaginta discipulorum Collegiū instituit, exemplo & facto in Nouo Testamento cōsecratum ac comprobatum, ac deinceps scholas in populo Dei à sanctissimis hominibus Episcopis apertas, ab Imperatoribus & Principibus Vniuersitates & Academias fundatas, dotatas, frequentatas, atque in illis docentes ac dicētes, Professores ac Studiosos stipendijs, priuilegijs ac immunitatibus ornatos esse, proditum accepimus.

Neque immerito. Nam ex Scholis variarum vtilitatum riuuli velut è fonte in Ecclesiam, Rempub. & communem vitam tot & tanti emanant, vt illi paucis nunc percenseri non possint. Ex illis n. recte constitutis prodeunt sacræ Scripturæ interpretes, qui eam locorum collatione & linguarum, Hebrææ in primis ac Græcæ beneficio, solide & erudite explicant, & iuentutem ad salutarem Dei agnitionem informant. Hinc Ecclesiarum Antistites, Superintendentes, Pastores, ludorum litterariorum Rectores, Magistri: Hinc justitiæ Sacerdotes, Principū Consiliarij, Quæstores & alij Præfecti: Hinc prudentes Consules & Senatores, Syndici, & alij qui ad Gubernacula Reipub. cum justitia sedere possunt: Hinc Herbarum, gemmarum, & aliarum rerum naturalium cognitores,
mor-

Anno
1607.

morborem depulsores & valetudinis conseruatores, Medicia & Philosophi: Hinc in communi vita homines politi, ciuiles, morati. Inprimis autē hoc eximium scholarū & Academiarum recte constitutarum bonum est, quod in illis vna cum alijs disciplinis honestis ac scientijs, doctrina de vero DEO, ac vnico nostro Seruatore IESVCHRISTO pura ac sincera conseruatur, & ad posteritatem propagatur.

Et sane cum Principes, teste Scriptura, nutritores Ecclesiae esse debeant, à quibus tanquam scutis terrae Dominus gloriae vult exaltari, hos praecipue in eam curam incumbere stimulo conscientiae teneri existimamus, vt apertis & certis legibus ac priuilegijs munitis Scholis docentium ac discipulorum, depositum illud caelestis doctrinae tanquam preciosissimum *κειμήλιον*, in ditionibus ipsorum retineatur, & inde ad alias regiones & vrbes, atque ad ipsos posteros transmitatur.

Hoc itaque Nos Dei gratia Ludouicus, Hassiae Landgrauus, &c. perpendentes, siquidem sanam doctrinam in pluribus capitibus hoc extremo seculo periclitari, & falsa dogmata passim spargi videamus, iudicauimus nostri muneris esse, prouidere, vt illud quicquid est mali, per Domini gratiam à ditionibus nostrae curae commissis propul-

Anno
1607.

propulsemus, atque ita quantum officij nostri ratio postulat, hoc vnice agamus, vt religio Christiana, & ijs, qui iam nobiscum viuunt, & posteritati, si qua futura est, sicut eam accepimus, pura ac illibata tradatur. Ob quam causam ante biennium ad gloriã Dei omnipotentis, cui omnia nostra accepta ferimus, Ecclesiã, Reip. communis vitæ & plurimorum vtilitatem, in propugnaculo & ciuitate nostra Gießa, Scholam cum fidelium nostrorum subditorum & Prouincialium consilio & auxilio aperuimus & dotauius, vt iuxta alias disciplinas, artes & linguas, ea doctrina, quæ in libris Prophetarum & Apostolorum consignata, & tribus Symbolis, Apostolico, Nicæno, Athanasiano, decretis Synodi Ephesinæ & Chalcedonensis, Augustana item Confessione inuariata, sicut illa ab Illustrissimo auo nostro Philippo, Hassiæ Landgrauio, & c. p. m. vna cum Electore Saxonie aliisque Principibus & ciuitatibus inuictissimo Romanorum Imperatori Carolo V. Anno à Christo nato post millesimum, quingentesimum trigesimo, exhibita est, eiusdem Apologia, Catechesi Lutheri, Formula Concordiæ, Anno 36. inter Lutherum & Bucerum Witebergæ initæ, & Schmalcaldicis articulis summatim comprehensa est, quemadmodum ab Illustrissimis Dn. Auo, Dn.

F

Patre,

Anno 1607. Patre, ac Dn. Patruo pie defunctis, in ditionib. nostris per manus quasi tradita est, sine omni innouatione & mutatione, pure & sincere traderetur: hoc in votis habētes, vt tum subditis nostris, tum plurimis alijs prodessemus. Cum itaq; Domino benedicente, Inuictissimus Cæsar Augustus Rudolphus II. Imp. ac Dominus noster clemētissimus, huic nostro instituo benignissime annuerit, Scholam hanc confirmauerit, atq; Priuilegijs Academicis amplissimis ornauerit, vt sicut in alijs Academijs dictæ Augustanę Confessioni sincere subscribentibus, SS. Theologia, Iurisprudentia, Medicina, aliæque artes per viros eruditos & idoneos docerentur, & omnes omniū graduum ac honorū tituli in dignos cōferrentur, est quod Deo omnis boni fonti, toto pectore gratias agamus, illi deinceps successum, quē hucusq; satis prosperū animaduertimus, cōmendemus. Cum autem ipsius Cæs. Maiest. Priuilegiorū Academicorum solenni promulgationi, Deo iuuante, diem 7. Octob. dixerimus, atq; ita vnà Academiam hanc nostrā Legibus & priuilegijs munire & cōfirmare decreuerimus, publicis his literis tum docentibus ac discipulis, tum alijs, ad quorum manus illæ peruenient, significare hoc voluimus, illos clementer inuitantes, vt se ad solennē hunc actum

Anno
1607.

actum decore componant, atq; nostram in
 studia literarum & literatos singularē pro-
 pensionem & beneuolentiam hinc agno-
 scant. Quo feliciter peracto, hoc curabi-
 mus, vt omnes omniū facultatū lectiones
 ac disputationum exercitia, magno studio
 & diligentia ex præscripto Legum Acade-
 micarum pleno cursu continuentur, atque
 illi qui suam eruditionem, virtutem, & vi-
 tæ integritatem, ijs, quorum interest, com-
 probarunt, publicis testimonijs atq; hono-
 ribus ornentur. Dominus noster Christus
 Iesus supremus Ecclesiarum & Scholarum
 Præses, bonum quod cœpit, opus, confir-
 met, nos in sermone suo, qui veritas est,
 sanctificet, Academia huic nostræ ex alto
 benedicat, vt gloriæ Dei, Ecclesiæ, Reip. &
 cœlesti virtuti conseruandæ salubriter ser-
 uiat, atque nos omnes sub vmbra alarum
 suarum protegat, Amen. Per scriptum
 Darmstadi die 28. Aug. Anno

Christo IesV Moderante:

RVDolpho Imperatore Largente:

LVDeuigo Hasso Landgrafio fVndatore:

Ioanne StrVpplo De GeLuhavvsen Pro Motore:

Ecclesiarum verò eo loci Superattendente.

SS. Th. Doctore HereMia Vietore: &

In nova Academia Regente,

Doctore GV Desfredo AnthonII.

F 2

Posonij

Anno
1607.
*Hungari ex
Comitijs Po-
soniensibus
decedunt.*

*Cum Prote-
statione.*

Pofonij quum Hungarorum legati ad xv. vsque diem Septembris Matthiæ Archiducis aduentum frustra expectassent: domum quoque, sequenti apud Cathedralis Ecclesiæ Capitulum facta protestatione, discedendum sibi statuerunt.

Nos Cathedralis Ecclesiæ Pofoniensis Capitulum, omnibus, quorum hoc scire interest, notum facimus, Illustres, generosos, nobiles & strenuos viros, nec non Præfecturarum & Liberarum ciuitatum, ceterorumq; Hungarici Regni Statuū, ad Pofoniensia hæc comitia, in D. Iacobi festum indicta à Cæsarea & regia Majestate conuocatos, & obedienter missos Legatos, coram nobis comparuisse, & vno ore vnoque consensu, Principalium suorum nomine sollemniter potestatos esse: Quamuis Cæsareæ Majestatis, regis sui clementissimi jussu, ad prædicta comitia præstituto tempore & venerint, atque etiam duos pæne jam menses serenissimi Archiducis Matthiæ, tamquam Cæsareæ Majestatis vicarij, & in jam dictis Comitij Præsidis futuri, aduentum præstolati fuerint, isque nullus adhuc compareat, ipsi verò exhausta quotidianis sumptibus per tam diuturnam, Regni hæctenus vsurpatis consuetudinibus repugnantem moram, crumena, diutius commorari heic non possent, sed domum quisque

Anno
1607.

quisque suam discedere ab ipsa necessitate cogerentur; nihilominus ad Cæsareæ Majestatis, regis sui clementissimi edictum, quocumque is loco & tempore, secundum Regni consuetudinem alium conuentum indixerit, cum debita obediētia & submissa fidelitate rursus comparituros.

Interea verò ne quid contra transactionem siue Pacificationem illam, superiori Anno M. DC. VI. XXIII. Iunij inter Cæsaream Majestatem, eiusque fideles in Regno Hungarico subditos factam & confirmatam, tentetur: protestantur iidem solemniter, se prælibatam transactionem omnesque eius articulos & clausulas (absque tamen præiudicio ab Archiduce Matthia scripto Hungarici regni Legatus promissæ Complationis, & quorundam articulorum Declarationis) exactè seruatuos, ei se accommodatuos, neque vellatum vnguem ab ea discessuros. Quod si verò qui, cuiuscunque status ordinis & conditionis ij essent, contra dictam illam transactionem officium aliquod publicum (quorum collatio eiusdē Transactionis virtute, ad Hungarici regni Consiliarios pertinet) à Cæsareæ Majestate impetrauerint, aut jam impetrassent; eis se hoc ipso denunciare, à regni incolis & subditis tales minime receptum iri, eorumque Mandata executoria,

*Pacis Vien-
nensis artica-
los volunt
seruari.*

Anno
1607.

Donationales, aliaq; eiusmodi scripta & litteras, quocunq; eæ nomine appellarentur, à talibus promulgatas, nullam omnino vim aut locum habituras. Qua de re iterum atque iterum coram nobis iisdem Legati suo ac suorum Principaliũ nomine solemniter protestati sunt, hancq; suã protestationem, vt tanto esset firmior, scripto consignari, & Capituli nostri sigillo muniri voluerunt, &c. Actum Posonij siue Presburgi, postridie Natiuitatis B. Mariæ Virginis, Anno M. DC. VII.

*Turcæ pacis
spe suspensi
fluctuant.*

His alijsque de causis quum pax quoque cum Turcis indies procrastinaretur, præfectus siue Bassa Budensis, conuocatis bellicibus, deliberare eos iussit, quid porro agendum. Cuius rei nuncius magnam nostris attulit trepidationem, locis omnibus per flumina gelu durata ad inuasionem opportunis. Tantum tamen apud barbaros etiã honestatis respectus valuit, vt ab iniuria, quantum fieri potuit, sibi temperarent: quinetiam Sultanus ipse Budensem præfectum litteris monuit, vt, quamuis Christiani magnos cœtus facere, atq; hinc inde ad prædam excurrere dicerentur, ipse tamen quiesceret, & quoad eius fieri posset eorũ insolentiã perferret. Si verò ijdẽ vim facerent, quamprimum se faceret certiorẽ. Interea sexcenti Turcæ equites Belgradũ versus

versus proficiscentes quum in itinere nostros quoq; sub signis ingredi audiuiſſent, ad castra vsq; duobus ab Iauarino miliaribus, adequitarunt, ſed mox nullo hoſtilitatis edito ſigno retroceſſerunt. Paulo poſt Ibrahim Baſſa cum quindecim lectiſſimorū virorum milibus in Hungariam venit, eo conſilio, vt tribus excitatis caſtellis, itinera omnia muniret; ac tum demum ſerid à noſtris exquireret, pacemne an bellū mallent: ac ſi noſtri ad bellū inclinarent, ipſe raptō agmine vicinas omnes regiones peruaderet ac depopularetur: in quem finē magnā annonę & caſtrenſis ſupellectilis vim cōportari, ruſticosq; omnes cum curribus & equis ad imperiū præſto ſibi eſſe jufferat. Eam ob cauſſam Archidux quoque Matthias Budiani & Serotini Comitibus milites ac clientes in armis eſſe juffit.

Aliquot tum prodigia animos quorundam terruerunt. Nam Eſſeggij è fruſto panis cruor emanare viſus eſt: & in oppido Væradinenſi (cognomento Magni) duo lymphatici nudi diſcurrerunt, concionantiū more ad pœnitentiā hortantes. Gunſij quoq; infans à partu recens loquutus eſſe dicitur. Quid verò hæc talia portenderint, vt & Cometa, qui per eos dies apparuit, nouit qui omnia. Is faxit, ne magno noſtro malo id nos quoque reiſſa experiamur.

Prodigia.

Anno

1607.

*Hungari rur-
sus offendun-
tur.*

In tam ancipiti rerum statu, Hungariæ aliquot proceres Posonij instituta, sed, uti diximus, dilata comitia vehementer urgere cœperunt. Quare Archidux Matthias decem peditum signa, & mille ac quingentos equites eò pramisit. Hinc iritatis suspitione quorundam animis, Hungari instantissime petierunt, ut tam validum præsidium, quo minime opus sit, statim dimitteretur. Neque enim se disputationibus aut altercationibus illud comitorum tempus conterere, aut à pace cum Turcis facta discedere velle; sed eò solum venturos ut quæ superiori anno, interprete Illisha scio, conclusa ac concessa essent, publico consensu iterum firmarentur. Interim multi tam procerum quam gregariorum militum ad Turcas quotidie transibant: ac Posonij etiam res ad tumultum ferè spectavit, quod Lutherani ministri à concionandi munere cessare & facessere iussi essent. Bassa quidem Budensis ab Heiduccis ut nostros inuaderet sollicitatus, oblato decem milium auxilio, prolixè & liberaliter respondit, conditione tamen uti noluit, spe pacis inductus. Heiducci nihilominus cis & vitra Danubium magna coacta manu, Calonem arcem obsederunt, qua expugnata, Transylvaniæ aditum in potestate sibi habere videbantur. Voto potiti, Haiam quoque arcem

*Heiducci ar-
ces quasdam
expugnant.*

Anno
1607.

arcem sui juris fecerunt: dein positis ad Tibiscum castris, circumjacentes regiones licenter diu peruagati, loca omnia munita expugnare sibi que subijcere conati sunt. Ad horum conatus reprimendos proceres quidam Hungarici clientes suos ad arma vocauerant: verum ij Tartarorū ad Onodum pagum castrametantium ope freti, ulterius progressi, Debritium oppidum quoque expugnarunt: elatiq; victoria, de Cassouia obsidenda, omnique excindēda nobilitate consilia agitabant, quod ea ferē à Casareæ Majestatis partib⁹ staret. Quintiam Valentinum Humanaium, magnæ nobilitatis virum, regem sibi expetebant: sed is, raro modestiæ exemplo, non solum eorum petitionem aspernatus est, verum etiam Casareæ Majestatis Commissarios, Cassouię degentes de auxilijs interpellauit, ne fortasse inuitus ad regnum vel ipse raperetur, vel Redaius, in quem etiam multorum studia inclinabant, ipsius loco eligeretur. Aiunt Heiduccorum tum tantam fuisse vesaniam, vt non modo Turcarum amicitiam vltro ambirent ac studiose colebant, atque in eorum gratiam multa scelera perpetrarent; verum etiam quoscumque in potestatem suam rede gissent, eos conceptis verbis jurare adigerent: Se Turcarum amicos, Germanorū autem inimicos

*Nouum regē
eligere co-
nantur.*

F 5

perpetuō

Anno
1607.

*Cassouiam
obsidens seu
stra.*

*Placantur
quodammodo*

perpetuo futuros, ac futuro regi, interim
verò Heiduccorum primarijs, omnē obe-
dientiam præstituros.

Ineunte mense Decembri Heiducci Cas-
souiam obsidione cinxerunt, sed inde ali-
quoties facta impressione, repulsi, Pæstum
ac Strigonium concesserunt. Ad hoc Cæsa-
rea Maiestas Ragozium magnæ auctoritatis
virum ablegauit, uti eas ad viam reduceret,
& porro in officio cōtinerent: tantumq; is
precando atq; obtestando effecit, ut post-
quā pollicitus esset, comitia Posonij quam-
primum celebratum iri, paulum illi retro-
cesserint, promisso addito, nihil se contra
Cæsaream Majestatem molituros, nec quem-
quam amplius offensuros, si postulatis suis
satisficeret, sin minus, quamcumq; possent
de Austriacis & Germanis omnibus, ut qui
pactis non stetissent, ultionem sumpturos.
Quū verò comitia Posoniensia nihilomi-
nus procrastinarentur: Heiduccorū rursus
ad decē milia coierunt, & superato Tibisco
fluuio, in Sepusiensem agrū irruerunt: quo
euaftato, ad tredecim illa oppida, quæ in
illo tractu ad Polonorū pertinent imperiū,
agmen conuerterunt, obuia quæq; agentes
ferentes. Superioris quidem Hungariæ Or-
dines aggredi eos ac concidere decreuerāt:
sed Agrediensis præfecti minis territi, nihil
ausi sunt, qui palam jactabāt, nisi quam pri-
mum

Anno
1608.

num copias jam cogi cœptas dimitterent, se eas suorum, Tartarorum, atque illorum ipsorum Heiduccorum ope profligaturū. Posthæc Heiducci ad Toccaiū agmine ducto, deditiōnem arcis postularunt. Sed præfectus respōdit: Quamuis eius custodia nō à Cæs. Maiest. sed regni Hungarici Ordinibus sibi commissa sit, nolle se tamen eam in Cæsareæ Maiestatis præiudicium, sua facilitate alijs quibus nihil in eam juris, proderet, sed eam ei quicumque rex futurus esset, permissurum. Medio hoc responso repulsi Heiducci, indies magisq; cum Turcis colludere cœperunt, eisque quasi se totos tradiderunt. Positis ad Sendeliam oppidum castris, ciuibus per litteras aperte significarunt: Quum videant patriam atq; Hungaros opera sua ad salutem vti nolle, se Turcarum Imperatori eam nauaturos & arces quas possent, potestati eius subiecturos. Id quod etiam factis efficere conati sunt. Nam & modo dictam munitionem, & Budnocum arcem ter summis viribus oppugnarunt, hanc etiam expugnarunt, inde ad Filleccum tentandum animos adiecerunt, vsi Turcarum, comeatu alijsque rebus eos iuuantium, opera: Budensi inprimis præfecto (quamuis summum is pacis studium apud nostros simularet) conatus eorum promouente.

Quum

Anno
1608.
*Comitia Po-
sonij restau-
rantur.*

*Præfectus
Fillecensis
auxilia petit.*

*Heiduccorū
querelæ.*

Quum igitur in peius omnia indices ruc-
rent, & retro sublapsa referrentur: Archi-
dux Matthias Hungarici regni Ordines de
habendis, vel potius restaurandis Pofonij
comitijs interpellavit, in quibus de reme-
dijs tanto malo adhibendis consultaretur:
simulque omnem nobilitatem omnesque
Status edicto monuit, vt ad rebelles oppri-
mendos vires auxiliaque conferrent. Ei
Bator obsequutus, bis suis profligatis, non
mediocre damnum accepit. Interea Fillec-
censes præfidiarij magnis versabantur in
angustijs. Quamobrem eorum præfectus
celeri nuncio ad Matthiam Archiducem
misso, auxilia, pecuniam, comeatum, alia-
que necessaria (quorum in arce non ma-
gna erat copia) quam primum mittere sibi
petijt; protestatus, si hac neglecta petitione
auxilia non maturarentur, atque interim
arx ea & præsidium amitteretur, nihil cul-
pæ sibi aut suis attribui posse. Eisdem litte-
ris idem causas horum motuum has potis-
simum Heiduccos prætere signficabat:
quod Presburgi concionatores Reformatæ
(vt ipsi vocant) religionis nuper essent
profligati, & contra pacis Viennensis arti-
culos, Ecclesiasticis personis nimium juris
tribueretur: quod ferre ipsi vlllo modo nec
possent nec vellent; sed potius in Turcarū
clientelam concessuros, adeoque & vitæ &
fortu-

Anno
1608.

fortunarum omnium jacturam prius facturos, quam ut quæ pace Viennensi conclusa & inducta sunt, reuocari, aut tamquam irrita pronunciari patiantur. His eorum querelis nisi mature in publicis comitijs satisfiat, aut eorum conatibus obuiam eatur, periculum esse ne rebellionis semina per totum regnum jam diu sparsa, repullulent, & multo acerbissimos fructus proferant. At tum præfecti ac præsidij constantia, tum anni tempestate rigidissimoq; gelu factum est, ut rebelles infecta re discesserint, obsidionemque soluerint; quorum extremum agmen præsidij erumpentes ita carperunt, ut multis occisis, viuos aliquot ceperint, de quibus Fillecci horrendum stipite per corpus adacto, supplicium sumptum.

Tandem xiv. Ianuarij Archidux Vienna Posonium versus iter ingressus, xv. eò peruenit, centum ferme curribus & trahis, ac ducentis Buchemij præfecti equitibus comitatus, à ciuibus armatis pro more magnifice exceptus. Tria peditum signa, quæ in suburbio præsidium agitabant, quingentorum fere capitum, ad arcem vsque ita erant disposita, ut per ea Archidux medius ingrederetur: tum omnia tormenta tam in vrbe quam in arce, magno fragore exonerata sunt, multaque alia lætitiæ signa ædita. Archiducem è curru descendente,

Napra-

*Archidux
Matthias
Viennam ve-
nit.*

Anno
1608.

Napragius episcopus Iauarinensis egregia oratione est alloquutus: prius verò quam appulisset, Redaius, duo è Thursonum familia, alijque è nobilitate Hungarica, Archiduci Heimburgum vsque cum sex trahis obuiam processerunt, eique felicem aduentum gratulati, sine vlla mora Presburgum sese receperunt.

Postridie xvi. scilicet Ianuarij, Forgatius Archiepiscopus Strigoniensis, in arcem insigni Hungariæ nobilitatis globo stipatus, ascendit, Archiducemque salutauit.

*Illisha-
scius.*

xxii. Ianuarij Illishascius cum decem aut duodecim trahis Presburgum inuectus est: què trecenti circiter Heiducci vsq; ad vrbis mœnia, nonaginta verò eodẽ vestitu amicti satellites, ad diuersorium vsq; comitati sunt.

*Consultatio-
nis initium.*

Sequenti die xxiii. Ianuarij, conuocatis Hungarici regni consiliarijs, initium Consultationis factum est, eisq; ab Archiduce res quædam grauissimæ ad deliberandum sunt propositæ: cui quidem concilio, quod totum eum diem & sequentẽ etiam ad meridiem vsq; tenuit, nemo Germanorum, præter ipsum Archiducem interfuit. Hungari die xxv. multa jam nocte, ad postulata scripto responderunt, quo non sine stomacho & acerbis verbis tam Archiducẽ quam Austriæ Ordines commonefcebant, prouiderent, ne res in neruum erumperet,

peret, ac tempestiue malis ingruentibus re-
medium applicarent.

Postridiè, qui xxvi. erat Ianuarij, Au-
striae Ordines & Cæsareæ Maiestatis consi-
liarij Germanici concilium habuerunt, &
quæstionem ab Hungaris propositam ven-
tilarunt: quæ non absimilis illi videbatur
qua olim Pharisei Christum Saluatorem
nostrum tentabant: vtrum scilicet tributū
Cæsari esset soluendū, vel non? Certe toto
eo tempore quo conuentus durauit, tam
furiosa Hungari cōsilia agitasse dicuntur,
vt jam certos homines delegerint qui ad
Turcarum Imperatorē proficiscerentur,
auxiliumq; eius, si comitorū euentus mi-
nus ad voluntatē ipforum succederet, im-
plorarent. Post multam disceptationem, ex
Hungaris & Austriacis deni electi sunt, eo-
rumq; consensu decretū in hanc sententiā
factū: vt omissis quæ in controuersia vo-
cabantur conditionib⁹ omnes Viennensis
Pacificationis superiori anno conclusæ ar-
ticuli, rati atq; inuiolabiles haberentur: in
quod tandē etiam vtriusq; partis delegati,
ne maioribus malis fenestra patefieret, cō-
senserūt. Quamuis enim Ecclesiastici ordi-
nis homines acriter initio sese opponerēt,
tamen Hungarorum victi pertinacia, qui
non discessum tantum, verum etiam graui-
us quid molituri videbantur, condiciones
& ipsi

*Austraci
Viennenses
Pacificationē
acceptant.*

Anno
1608.

& ipsi acceptarunt: vt scilicet tam in vrbi-
bus & oppidis, quam in pagis & vicis libe-
ro Hungari religionis exercitio fruere-
tur, ipsi verò in defendendis Cæsareæ Ma-
jestatis tamquam regis sui legitimi, prouin-
cijs, jure & auctoritate omnes vires atque
adeo ipsam vitam impenderent. His trans-
actis, Archidux Matthias Chiatum Caspa-
rem cum litteris ad Budensem præfectum
ablegavit, quibus eum omnium quæ acta
fuerant, faciebat certiore: Georgium
quoque Tursonem & Illishascium in su-
periores Hungariam misit, cum manda-
tis, vt Heiduccos, qui sub signis passim ad
rebellionem coierant, ab instituta expedi-
tione reuocarent; ac nisi æquis ac justis
conditionibus ad pacem ac quietem flecti
se sinerent, totius regni vires in ipsos con-
uersum iri, interminarentur. Decretum
verò in hoc conuentu factum, ita se habet.

*Dei rebus
conuentus
Posumij.*

Illustrissimi, Reuerendissimi, Illustres,
Generosi, Nobiles, Strenui & Honesti re-
gni Hungarici Ordines, &c. Vtriusque
Austriæ tam eius quæ supra quam eius quæ
infra Ensam est, Deputati siue delegati,
non tantum ex ijs quæ partim sermone,
partim scripto ab Hungaricæ coronæ Or-
dinibus exposita sunt, verum etiam suo ip-
sorum exemplo, & nimia, prò dolor expe-
rientia satis superque intellexerunt, quam
multis

multis quamque ingentibus miserijs & calamitatibus prædictum Hungariæ regnum & ab hæreditario Christianæ religionis hoste, & intestinis seditionibus ac bellis, multos jam annos pressum, jactatum atque afflictum fuerit. Quum verò vtriusque Austriæ incolis nihil grauius possit accidere, quam si noui in eodem regno motus exoriantur, vnde innocentis rursus Christianorum fundendo sanguini causa præbeatur, & tam hæ quam vicinæ regiones irreparabili damno rursus inuoluantur, (quod quidē vt præcaueatur & ipsius Cæsareæ Maiestatis quammaxime interest, & ni fiat, ad subditorum maximè extremam perniciem atque interitum est redundaturum) iidem Austriæ Ordinum delegati, vtriusque tam superioris quam inferioris prouinciæ nomine declarant & promittunt, se omnia ea quæ Cæsareæ Maiestatis permisso inter se aliaq; vicina regna & prouincias cōtracta sunt, inuolabiliter custodituros, eaque vt custodiantur, Hungaricis Statibus, quantū quidem ex hac Pacificatione tenentur, auxilia præstituros: quoad Deo in primis, tum Cæsareæ Majestati, tamquam legitimo regi ac Domino, & Mathiæ Archiduci, tamquam proximo & legitimo successori, & plenario Gubernatori, eorumque fratribus, ac vniuersæ domui

G Austriacæ

Anno
1608.

Austriacæ ex æquo & bono reddenda ratio patietur, aut regni huius ac regionum postulabit necessitas: sperantque vicissim, laudabiles Hungarici regni Status Viennensi Pacificationi, & super eam datæ Assescuratio ni exactè satisfacturos, Austriacisq; prouincijs, & iam & in futurum, quoties necessitas requiret, promissa auxilia suppeditaturos, &c.

*Confederatio
inter Matthi-
am, Hunga-
ros, & Au-
striacos.*

In vniuersum deinde tam Matthias Archidux, quàm Hungarici atque Austriaci proceres pacificatorium Decretum & quasi fedus fecerunt, ei que omnes & singuli subscripserunt. Erat autem hanc in sententiam conceptum:

Nos Matthias, Dei gratia, Archidux Austriæ, &c. Cæsareæ Maiestatis, clementissimi ac charissimi nostri fratris, Gubernator & Generalis in Hungaria atq; Austria, &c. Et nos Prælati, Domini, Nobiles, ceterique Status regni Hungariæ, vt & vtriusq; Archiducatus Austriæ, Presburgi congregati, & nostro & eorum à quibus delegati sumus nomine, notum facimus omnibus & singulis. Postquam ad sedandos motus & rebelliones, quas Heiducci Turcarum instigatione de nouo iterum moliebantur, hac in vrbe conuentum indiximus, eò omnia nostra studia direximus, vt tam Hungariæ regnum, quàm vicinæ regiones ac prouinciæ

Anno
1608.

uinciam ab extremo interitu vindicarentur, neq; vel à Christiana repub. penitus auellentur, aut prioribus miserijs, à quibus necdum respirarunt, rursus obijcerentur; consultissimum id nobis visum fuisse, si tam nostro, quàm absentium nomine firmissimū fedus inter nos iiceremus, quemadmodum etiam harum litterarū virtute facimus, hoc quidem modo atq; forma: Quod si ob Pacificationem illam, siue pacis Capitulationē (quam ex nostra parte accuratè seruare animū induximus) vel hostis vel quiuis alius communis pacis perturbator, Nos, vel prædictum regnum & prouincias, vel eius mēbra & confederatos vi aut hostiliter oppugnauerit, cōiunctis auxilijs tam à nobis quàm à cōfederatis & socijs nostris commune periculum depulsuros; atq; eos etiā qui propter hanc Pacificationem ac confederationem periclitati fuerint, protecturos ac defensuros, vnaq; victuros aut morituros, &c. In cuius rei fidem & confirmationem litteris his subscripsimus, & sigilla nostra appēdimus, scriptis Presburgi Calend. Februar. Anno M. DC. VIII.

Quum hoc modo de pace omnes benè iam sperare inciperent: ecce nouus intesti- *Eliseit stant-*
nus motus exortus, omnia forsan commi- *tas.*
scuisset, nisi quū ipsius Dei prouidētia, tum
singulari eorum quorū intererat, modestia

Anno
1608.

*Qui cum Mat-
thia Archi-
duce.*

& pacis studio, maturè fuisset sedatus. Quum enim Archidux Matthias accepisset, Cæsareæ Maiestati non omnia quæ inter ipsum & Status tam Hungaricos quam Austriacos acta erant, quam optime placere, sed conqueri, suæ auctoritatis ac reputationis non eam quæ requirebatur, habitam esse rationem: subito Vienna ad Neoburgum monasterium concessit, ad quem mox quamplurimi proceres, ij præsertim qui Viennensi Pacificationi interfuerunt & subscripserunt, sese aggregarunt. Quæ res magnam sane trepidationem in omnibus illis regionibus concituit. Iam enim multi milites ad Archiducem Matthiam sub signis coierant, ducibus, Georgio Sigismundo, Barone Herberstenio; Georgio Andrea Barone ab Hofkirchen; Georgio Turfone, Hungaro: Ioanne Christophoro à Bucheim: Rudolpho Tiefenbachio: Carolo Liechtensteinio: Domino à Lemburg: Tscherotino, Erdodio, Palfio, Illishascio, Thoma Nadasto, Turorone Ferentio, Maximiliano Liechtensteinio, Valentino Humanaio, alijsq; tã Hungaris quam Germanis. Inscriptiones quorundam vexillorum his verbis erant conceptæ. Vnius: *Cedat virtuti inuidia.* Alterius: *Ad tuendam Patriam.* Alterius: *Fortitudo comes mea.* Rursus alterius: *Pugno pro patria.* Alterius:

Alterius: *Sancta Maria ora pro nobis.* Alterius: *Sancte Michael ora pro nobis, &c.* In multis verò ipsum MATTHIÆ nomen aureis literis inscriptum radiabat.

Anno
1608.

Cæsarea Maiestas accepto de his tumultibus nuncio, Cardinalem Dietrichstenium (qui sane toti Christianitati in his turbis componendis egregiam operam summam cum laude, & non minori cum sollicitudine præstitit) ad fratrem misit, qui à cœptis eum dehortaretur, ac Cæsaris optimam voluntatem & propensionem tam erga fratrem quam optatissimam pacem significaret. Archidux tamen Matthias nihilominus progrediendum sibi statuit, missis circumquaque diplomatis, ac nuncijs, nemini à suo milite (modo is quiescat & paci studeat) ullam injuriam aut detrimentum illatum iri; quod si quis damni aliquid accepisse se probare posset, id se compensaturum.

*Cæs. Maieft.
Dietrichste-
nium Cardi-
nalem ad fra-
trem Mat-
thiam misit.*

Interea Cæsarea Majestas, optimæ fratris in se voluntati (quem maleuolorum atque Inquietorum hominum consiljs ad hos conatus excitatum credebat) minimè diffidens, ad bellum quidem consilia minime flexit, suos tamen in omnem euentum paratos esse iussit: clientes etiam Bohemici regni fiduciarios, ac confederatos, de auxilijs in casu necessitatis præstandis, inter-

G 3

pellauit

Anno
1608.
Saxo & Brä
deburgenſis
ad Matthiam
ſcribitur.

Bohemorum
poſtulata à
Cæſare.

pellavit. Et Saxo quidem & Brandeburgē-
ſis Electores Matthiam Archiducem per
litteras amiciffimè ac feriò monuerunt, vt
ab omni vi abſtineret, ac ſupremi magiſtra-
tus (Cæſareæ Majest. ſcilicet) fui ipſius, ac
vniuerſæ domus Auftriacæ, quæ per intelli-
guntur hoc diſſidium ſummo in periculo ver-
ſaretur, rationem haberet. Sed Pragenſes in
primis optimam animi fui erga Cæſ. Majest.
propenſionē oſtēderunt, inſtituta ciuiū lu-
ſtratione: tum reliqui etiā Bohemi alacriter
ad defenſionem concurrerunt, quorū pri-
moribus Cæſ. Majest. in Senatu & dextram
humaniffimè porrexit, & clemētiffimè gra-
tias egit. Ne verò hoc officium Bohemorū
erga Cæſarem eſſet gratuitū; Bohemi, Huſ-
ſitæ in primis, & qui diuerſam à Catholica
ſequuntur religionem, à Cæſare ſequentia
capita petierunt. I. Vt religio ſicut olim, li-
bera relinqueretur, neq; pars vna alteram
odio aut ludibrio haberet. II. Vt ad dignita-
tes Eccleſiaſticas & Prælaturas Bohemi pro-
mouerentur. III. Ne Pragenſi Archiepiſco-
po temporalibus negotijs ſeſe immiſcendi
ius eſſet. IV. Collaturæ beneficiorū ad eos
quibus ius olim conferendi fuit, tam ſub v-
traque (ſic Huſſitas indigetant) quàm ſub
vna (Catholicos intelligunt, ſpecie ſcilicet)
redirent. V. Pontificiæ in cauſis matrimo-
nialibus diſpenſationes tollerentur. VI. Sa-
cerdoti-

cerdotibus & Ecclesiasticis, ne fundos & terræ bona emere, sine trium Ordinum cōsensu liceret; sed ij suis contenti beneficijs viuerent. VII. Vtrique parti tam *sub vtraque*, quàm *sub vna*, templorum in suo solo ædificationes, vt & sepulturæ permitterentur. VIII. Vt Consistorio eorum *sub vtraque* in Academia Pragensi defensores constituerentur, eo modo quo Imperatoris Ferdinandi temporibus. IX. Vt supremus Burggravius aliquis in hoc conuentu eligeretur. X. Munera siue officia vacantia intra mensis spatium idoneis hominibus subrogatis, explerentur. XI. Foro & iudicio tam prouinciali quàm Camerali æquali numero homines *sub vtraque* & *sub vna*, præficerentur. XII. In secretius consilium Bohemus, qui res Bohemicas disceptet, assummeretur. XIII. Cæsarea Majestas, quantum fieri posset, audientiam ipsa omnibus daret, nec ministrorum opera tantum vteretur. XIV. Quid crimen læsæ majestatis sit, & quousque se extendat, explicaretur. XV. Pœnarum genera discriminentur, nec fortunis omnibus mulctatus, capitis insuper pœnam adiret. XVI. Orphanorū, viduarum, & eiusmodi causæ maturè deciderentur, neque, vt hactenus, in longum protraherentur. XVII. Subditi non tam facilè, præsertim illustri loco nati,

Anno
1608.

arestarentur aut in custodiam conijcerentur. XIX. Gladius (publicum vrbis olim ornamentū, & regiæ dignitatis cimelium) è templi siue turris vestibulo detractus, reponeretur. &c.

Hæc aliaque Bohemi, ij præsertim qui nouis religionibus studebāt, hoc statu rerū à Cæsarea Majestate flagitanda censuerunt.

Eodem tempore Morauī quoque conuentum agebant: ad quorum animos explorandos Poppelius & D. Slauota missi, valde eos fluctuare nunciarunt, ac vires insuper suas ostentare, quum etiam non magni nominis nobiles viginti atque etiam viginti quinque equos ad comitia adduxerint.

*Matthias in
Morauiam
proficiscitur.*

Interea Archidux Matthias ad Morauia fines progressus, XXIV. Aprilis Znam venit, atque inde Zaslauiam Bohemos euocauit, vt & quid ipse vellet eos doceret, & eorum sententiam, inprimis Cæsareæ Maiestatis exquireret. Eò quidam de Cæsareæ Maiestatis voluntate & consensu profecti, octo dierum inducias impetrarunt, intra quas Archiducis postulata ad Cæsarem referrentur, isque habita deliberatione, ad ea responderet.

*Matthie Legati
Pragam
veniunt.*

Postea XXIV. Maij, pridie Pentecostes sex legati ab Archiduce Matthia Pragam venerunt: Hungari duo, episcopus Iauaricensis

Anno
1608.

rinensis & Vespriniensis, & Nicolaus Tur-
 so: Austriaci duo, Eustachius à Künen, &
 Georgius Erasmus à Staremburg: duo
 item Moravi, Carolus Serotinus, & N. N.
 Hi xxvi. die per arcem in curiam prouin-
 cialem introducti, præcipuos è Bohemiæ
 proceribus congregatos ibi inuenerunt:
 quibus salutatis, Carolus Serotinus caus-
 sam legationis exposuit, hoc fere modo.
 Primum Archiducis Matthiæ nomine om-
 nibus & singulis Statibus plurimam salutem
 nunciauit: deinde prolatum commissæ
 legationis diploma publicè legi iussit; ad-
 dita demum, & omnibus audientibus iti-
 dem lecta eisdem legatis ab Archiduce
 Matthia data Instructione. Post hæc Sero-
 tinus loqui exorsus, hæc ferè disseruit.
 Primum, multos pacis osiores ac inquietos
 homines pacem cum Turcis factam ægre
 ferre ac malam in partem interpretari.
 Hanc ob causam Presburgi conuentum
 indictum fuisse & celebratum. Interea Til-
 lium equitum tribunum, Morauiam hosti-
 liter inuasisse ac depopulatū esse. Iamdiu ex
 Imperiali aula certum aliquod decretum
 de ijs quæ ad pacificationem pertinent,
 frustra expectari: Peregrinis hominibus
 nec satis integræ existimationis munera pu-
 blica rerumque administrationem com-
 mendari, qua quidem & alijs rebus patriæ
 G 5 jura,

Anno
1608.

iura & priuilegia violentur. Et quoniam
credibile sit, Cæsaream Majestatem, acce-
dentibus iam ad publicas tantorum regno-
rum & Imperij tam diu tamque feliciter &
laudabiliter administrati curas, senectutis
molestijs, ad otium & quietem adspirare:
velle Archiducē de Comitatu Tirolēsi par-
tem suam ei cedere, annuam insuper pensio-
nem è regni & prouinciarum redditibus af-
signare. Quod si hoc in Cōuentu regni Or-
dines Matthiam Archiducem pro rege ac-
cipiant; eundem eis priuilegia omnia con-
firmaturum, & si quid contra hætenus fa-
ctum sit, in integrum restitutum, omnia-
que facturum, quibus pax atque tranquilli-
tas regni & incorporatarum prouinciarum
conseruetur ac stabiliatur. Ad damna à mi-
litibus iam passim per agros data quod atti-
net; licet Suxæ Serenitati ea imputari non
possint, utpote qui de comeatibus aduehē-
dis delegatos per litteras sollicitè rogarit, ni-
hil tamen impetrarit, diffugientibus passim
incolis, omniaq; secum asportantibus (vn-
de factum, vt milites necessariorum ali-
mentorum inopia coacti, ad prædam excur-
rerint) ea tamen compensaturum & restitui-
turum, &c.

Bohemorum
responsio.

Ad hæc Ordines per prouincialem Au-
læ magistrum tum ita responderunt: Rem
magnam esse atque arduam qua de agere-
tur,

Anno
1608.

tur, ad quam ponderandam tempore sit opus. Rogare ergo vt Legati, dum delib-
ratio instituitur, in hospitia interea se con-
ferant, ac tantulam moram, vsq; dum Ordi-
num omnium sententię perrogarentur, pa-
tienter ferant.

Postridie Dominicę Trinitatis, Bohe-
mici regni Ordines Legatos ad se vocatos
hoc cum responso dimiserunt: Quamuis
insolitum hactenus atque inusitatum in re-
gno Bohemię spectaculum sit, vt frater fra-
tri viuo ac videnti, præsertim sine vlla caus-
sa, in regno surrogari, & quidem armatus,
cupiat atque flagitet; eoq; Bohemici reg-
ni Ordines satis causę haberent Suę Sere-
nitati ad hanc petitionem tali modo insti-
tutam alijs modis occurrendi: se tamen in-
tercessione, præcipuè clementissimi Regis,
domini & patris sui, Cæsareę Majestatis
(qui hoc ipsum diligenter antea à regni Or-
dinibus petierat) inductos, consentire, vt si
Reuersalibus illis (quas vocant) litteris,
(quibus cauebatur, ne hæc Declaratio suc-
cessionis Ordinum priuilegijs, quibus libe-
rum suffragiorum in rege eligendo ius, vl-
lo modo fraudi esset) publicè hoc in con-
uentu lectis, opere ipso à Sua Serenitate sa-
tisfieret, ea pro Cæsareę Maiestatis in
regno Bohemię successore agnosceretur,
iamq; pro hoc ipso haberetur,
arque

Anno
1608.*Quid Archi-
dux in ea de-
siderarit.*

atque acceptaretur, hac tamen conditione, ut viuo Cæsare, tamquam legitimo rege, regni possessionem vi non inuadat aut sibi vindicet; quod si tentarit, hoc ipso successionis jus atque expectantiam, ut ita dicam, amiserit. Hoc responso accepto, Archiducis Legati Ordines rogarunt, ut interea dum id ad suam Serenitatē referretur, expectarent. Triduo post iidem reuersi, nunciarunt: Archiducē in eo quod ab Ordinibus responsum, plane acquiescere non posse. Verendum enim esse, ne ipso discedente, dimissis copijs, maleuoli & inquieti homines Cæsareæ Maiestati & regni Ordinibus alia rursus consilia suggerant, atq; ea quæ jam confecta videbantur, infecta multoque intricatiora reddant. Velle igitur de successione, in quam Ordines jam consenserunt (pro quo clementissime eis gratias agat) melius sibi cauere; plenariam insuper annexarum prouinciarum, superioris & inferioris Silesiæ, superioris & inferioris Lausnitæ, nec non Morauicæ gubernationem, sine vlla restrictione aut reuocatione concedi. Ad hæc ut intra triduum responsio expediatur rogare, quo elapso, mandatum sibi esse, ut vel sine responso reuerterentur.

Interea Bohemicæ copię magno numero Pragam omnibus ex locis conducuntur,
tormenta

Anno
1608.

tormenta ex armamentarijs extrahuntur, ac commodis locis disponuntur. Valde enim metum augebat, quod Archiducis exercitus, qui viginti armatorum milibus, quorum maior pars equites, constabat, magis magisque appropinquaret, jamque vno tantum miliari à Praga abesset. Non minor numerus in Cæsareanis siue Bohemicis erat castris, sedit rusticanorum fere hominum & in armis minus exercitatorum. A vi tamen & iusta pugna (quod valde in tanta propinquitate tam validarum ab vtraque parte copiarum mirandum) hætenus temperatum fuit: semel tantum atque iterum à paucis ad manus ventum. Quum enim circa xx. Iunii, durantibus inducijs, Archiducalis exercitus duces & tribuni militum accepissent, montes quosdã vicinos aliaque loca contra induciarum leges, machinis & armatis hominibus communiri: pauci ad rem præsentem inspiciendam ad equitarunt. Quos quum ciues nonnulli alijque conspexissent, maleferiati quidam inter eos temperare sibi non potuerunt, quin Hungaros, qui multum damni per agros passim dederant, & quotidie dabant, conuicijs incesserent. Inde nata inter paucos velitatio, è castris nonnullos ad arma exciuit; sed Bohemis in vineas proximas & urbem difugientibus, Hungari cæsis circiter viginti, & captis

Quantæ
vtrumque
copia.

Anno 1608. *Alia postula.* captis aliquot, ad suos se se receperunt. Ad superiora illa in Ordinum conuentu proposita postulata, Archidux Matthias xx. Iunij hæc quoque addidisse fertur. Status siue regni Ordines sumtum in munitiones exædificatas factorum partem ferant. Præfidiarijs limitaneis, quibus nondum satisfactum, stipendia soluant, & quotannis porrò contribuant. Quinquaginta thalerorum milia iam numerent. Ad sumtus in Turcicam Pacificationem factos, centum quinquaginta milia deponant. In huius expeditionis impensas, quatercentena milia. Noxiorum consiliorum auctores, quibus patria valdè afflictæ, à Cæsarea Maiestate summoveantur. Si Turca pacem violauerit, auxilia mittant. Dominatus ac ditiones Cæsareæ Majestati subiectas, in scio Archiduce abalienari ne patiantur. Bohemis qui è regno ad Archiducem confugerunt, eique se coniunxerunt, id ne fraudi sit vniquam. Dimissis Bohemicis copijs, Archidux suas quoque dimittat. Supremus Burggravius de his articulis seruandis iuramentum interponat. Morauia Marchionatui liceat à Bohemia regno se separare. Omnia quæ ad iam dictum Marchionatum pertinent, eidem rursus adiungantur. Omnes incorporatæ regno prouinciæ contractum hunc approbent, ratumq; habeant.

Anno
1608.

habeant. Omnes iniuriæ & offensiones v-
trinque condonentur, & sempiterna obli-
uione obliterentur. Damna à militibus da-
ta refarciantur. Limites vti fuerunt, ita ma-
neant. Libertates, priuilegia & iura omnia
facta tecta inuiolataq; conseruentur.

Post multas vltro citroq; missas Lega- *Parificatio ef-*
tiones, Pontificis, & Hispaniarum Regis O- *fectū sortitur*
ratorum, Saxoniorum & Brandenburgi-
corum Legatorum interuentu, res transa-
cta est & composita. Ac primùm quod ad
Archiducatum Austriae attinet, eius qui se-
quitur tenoris instrumentum conscriptum
fuit & consignatum:

Nos Rudolphus, &c. Nos Matthias, &c. *Austrie Ar-*
nosq; cum Illustrissima Sua Celsitudine cō- *chiducatus*
federati Status vtriusque Austriae supra & *Matthie trās*
infra Ensam, Tenore præsentium litterarū *portatur.*
fatemur, notumq; facimus omnibus &
singulis. Postquam Nos Rudolphus, &c. di-
ligenter curas oēs, sollicitudines paternas, o-
nera & labores perpēdimus, quibus iam ad
annos xxxvi. continuos in administrandis
tam ipso Imperio, quàm hæreditarijs no-
stris regnis & prouincijs perfuncti sumus,
idq; præcipuè semper spectauimus, iamq; *hoc ipso*
hoc ipso spectamus, quomodo alia nostra
regna & prouincias, & imprimis nostrum v-
triusque Austriae Archiducatum, tot tam
hostilium quàm prædiarum copiarum
inua-

Anno
1608.

inuasionibus castrametationibus, depræ-
dationibus & spoliationibus summopere
afflictum atque exhaustum, Deo bene ju-
uante, in pristinam pacem, tranquillitatem
& prosperitatem restituamus & reduca-
mus: inter alia id nobis curæ esse debere
intelleximus, vt eidem Archiducatu Gubernator aliquis tanto muneri atque oneri
sufficiens, præficiatur. Quam quidem gu-
bernationem Charissimo atq; amicissimo
fratri nostro ac Principi, Matthiæ Austriæ
Archiduci, &c. commendauimus, qui pro
singulari suo erga nos amore & affectu, tum
ijs quibus à Deo ornatus est virtutibus, in
eo ita se gessit, vt non solum expectatio-
nem nostræ & voto satis fecerit, sed toti
etiam Christianæ Reipublicæ salutarem
operam præstiterit, dum in defendendis
nostris regnis & prouincijs nullū vmquam
periculum subterfugit, nullum vmquam
laborem recusarit: atq; inde cum immor-
tali nominis sui gloria, mirifica vniuersi,
per Austriam in primis, populi studia & fa-
uorem erga se consequutus est.

His Nos alijsq; de caussis, & in primis ma-
jorum nostrorum consuetudine & exem-
plo moti, dum adhuc viuimus, tam fidelem
operam tamque fraternum in nos amorem
& affectum vt remuneremur, officij nostri
esse ducentes, ex libera voluntate, maturo
consilio

Anno
1608.

consilio & deliberatione, scientes volentes, ex iure nobis sine vlla contradictione competenti, ac plenaria potestate, à prædicti Archiducatus Austriae Statibus requisiti, cum charissimo fratre nostro Matthia in has sequentes conditiones transegimus, quas Nos Rudolphus, &c. Nos Matthias, &c. Nosque Austriae vtriusque Ordinum ad hanc rem plena cum potestate delegati, sub verbo Imperiali, Regio, Archiducali, subq; fide à subditis debita firmiter inuiolateq; seruaturos recipimus & pollicemur.

Ac primum Nos Rudolphus ex prædictis alijsque causis grauissimis, libera ex voluntate, nec coacti, nec inuiti, scientes volentes, matura præuia deliberatione Archiducatum nostrum Austriae vtriusque supra & infra Ensam, cum omnibus eius terris, superioritatibus, dominijs, regalibus, redditibus, bonis Cameralibus, alijsq; omnibus, quæ Nos & prædecessores nostri in sæpedito Archiducatu possedimus atq; vsurpauimus, plenariè fratri nostro Matthiæ, eiusque liberis & posteris legitimis masculis, transportauimus, cessimus, ac tradidimus, hocque ipso transportamus, cedimus & tradimus: eumque in finem omnes Austriae Status, Prælatos, Barones, Dominos, Nobiles & Ciuitates iuramenti olim cum imperium capefferemus nobis præstiti, nexu sol-
H uimus:

Anno
1608.

uimus, eoque solutos pronunciamus, ita ut ab iisdem predicto nostro fratri fidelitatis iuramentum aliaque que ad inaugurationem pertinent, secundum priuilegia, libertates & consuetudines illarum prouinciarum exigere & prestare (respectiue) liceat; idque virtute diuersarum Cessionum & Commendationum, xxv. Iunij presentis anni factarum: quæ omnia Nos Matthias, nosque prouinciarum delegati fraterna ac humili cum gratiarum actione acceptauimus, idque apocha eodem die à nobis scripta & in tabulas relata, publice & solenniter testati sumus.

Secundo, Nos Rudolphus promittimus, intra duorum mensium spacium Nos omnia scripta & acta, quæ ad rerum Hungaricarum & Austriacarum expeditionem siue administrationem pertinent, ex Cancellarijs nostris & Librorum apothecis, in fratris nostri Matthiæ manus tradituros, ac tradi facturos. Quod vero attinet ad litteras quasdam Viennæ iam in cistula quadam inclusas, & à fratre nostro Matthia expetitas à nobis, quum non nostra solum, sed omnium etiam fratrum nostrorum Archiducum res heic agatur, cum ijs hac de re deliberabimus, interea vero vidimatas (ut loquuntur) singularum copias ei faciemus.

De

De requisitis ab Imperio ad Hungaricos limites tuendos contra hæreditarium hostem auxilijs, Nos Rudolphus Imperator promittim⁹ Electores ac Status Imperij interpellaturos, vtque proximis comitijs certum quid definiatur, operam daturus.

Loco vero huius tam in Austriæ Archiducatu quam Hungarico regno (quæ etiã singulari publico instrumento est scripta & confirmata) cessionis, Nos Matthias partē nostram Comitatus Tirolensis & anteriorum Austriæ regionum, cum omnibus regalibus, redditibus, &c. fratri ac domino nostro Imperatori Rudolpho, eiusque liberis ac posteris legitime natis tradimus ac cedimus, omni actioni vel iuri in eam porro renunciantes, &c.

Debita quibus tam Hungariæ quam Austriacæ regiones grauatae sunt, Nos Matthias in nos recepimus, hac sub promissione (modo illa secundum ordinem & ius ad eas sint deuoluta) Nos intra anni spacium omnes syngraphas & tabulas nostro nomine signari, fratri vero ac domino nostro Imperatori suo nomine consignatas remitti ac restitui curaturos. E contra Imperator operam dabit vt ea quæ Hungarici regni & cæssarum prouinciarum subditis in Imperio & alijs adhuc ab ipso retentis regnis

Anno
1608.

ac prouincijs debentur, bona quoque fide
exsoluentur.

Omnes iniurię, offensę, qua publicę, qua
priuatim, perpetua obliuione deleatur, ne-
que earum nomine vlla lis cuiquam vllō tē-
pore intendatur: omnibusque licitum sit v-
bicunque in prædictis regnis & prouincijs
tutò habitare, commerciaque exercere, &c.
Quod verò ad priuatas quasdam personas
attinet, contra quas Archidux particulares
actiones habere indicauit, eos tamen, mo-
dò id qua par est obedientia requirant, in
gratiam recipere paratum se ostendit: Nos
Imperator hac in oblatione acquiescimus,
nec dubitamus quin Archidux & frater no-
ster ei omni ex parte sit satisfactorus.

Harum denique compositionum, cum
omnibus earum punctis, articulis, & actis,
syngraphę, à nobis Imperatore Rudolpho
& Archiduce Matthia, & regnorum ac di-
tionum nostrarum deputatis conscriben-
tur ac in totum expedientur & confirma-
buntur: adque hæc omnia rata habenda Hi-
spaniarum regem, Electores Imperij, ac cæ-
teros Austrię Archiduces Matthię | Archi-
duci requirere fas erit, &c. Actum die Mer-
curij post festum Ioannis Baptistę, M. D. C.
VIII.

Alterius compositionis de regno Hun-
garico & alijs, articuli hi ferè erant: Primò,
Im-

Imperatoris consensu Hungarici regni corona Archiduci Matthiæ fratri tradetur.

Anno
1608.

Idem toto Hungariæ regno cedit, eiusque subditos iuramento sibi præstito exsoluit:

*Alterius cō-
posuisti ar-
ticulari.*

cum in finem, vt idem Archidux Matthias, non alius, ab eis in regem eligatur. Proximis

Comitijs Imperator de auxilijs ad Hungaricorum limitum defensionem conferendis, Imperij Status & Principes appellabit.

Infra duorum mensium spatium omnia ad regnum Hungaricum pertinentia scripta

Archiduci tradentur. Bohemici regni Status nomine Cæsareæ Majestatis Viennæ factam & conclusam Pacificationem cū Hun-

garis & Turcis acceptabunt, & confirmabunt. Idem intercessione Cæsareæ Majestatis Archiducem Matthiam proximum suc-

cessorem siue Expectantem Coronę Bohemicę declarant, ac designant, hac conditio-

ne, si is Cæsari sine masculis legitimis extincto superstes fuerit, hancque promissionem

sigillo S. Venceslai munierit, & in publicas tabulas retulerit. Quod si Imperator mi-

norenes masculos regni que nondum capaces ex se natos reliquerit, Archiduci

pupillorum tutela & administratio regni, committetur, ita tamē vt Senatū regium

Bohemicum in consilium adhibeat. Archidux Matthias Bohemici regni Ordinibus

syngrapha data promittit, si ad eum casum

H 3 res

118
Anno
1608.

MERCURII GALLOBELG.

res deueniat, & Bohemicum regnum licitis ac competentibus medijs ac terminis petiturum, priuilegia facta & cetera conseruaturū, omniaque pro more maiorum siue predecessorum suorū facturum. Vt vero de successione iure tanto certior sit, eidem titulo *Designati regis Bohemiae* iam porro vi licebit. Morauiae administratio eidem Archiduci, vna cum Marchionis titulo similiter cōceditur, quoad Imperator vixerit: quo mortuo, is Marchionatus ad eum qui Bohemiae rex fuerit, deuoluetur: neque viuo Imperatore Morauiae protectorem sibi eligendi ius habebunt. Episcopus Olmucensis, qui in temporalibus Bohemiae regem superiorem agnoscit, Archiducem interim agnoscat, ne causarum forensium confusio inde nascatur. Archidux vero data syngrapha Cardinali Dietrichsteno, cum Episcopatum iam tenenti, pollicebitur, omnia priuilegia, iura & immunitates ei relicturum & conseruaturum. Silesijs & Lausnicensibus Caesarea Maiestas sua quoque priuilegia inuiolata relinquet, atque etiam augebit, modo licita atque honesta requisierint. Ad limitum cōtra Turcarum inuasionem tuitionem Bohemiantum quantum haecenus conferent, Archiduci interim licitū erit postulata sua ad regni Ordines in publicis comitijs referre, quibus illi vt visum fuerit, satisfacere studebunt. Caesarea Maiestas titulum regno-

rum etiam iam translatorum nihilominus Anno
 vsurpabit. Amnestia omniumque iniuriarum 1608.
 condonatio fancietur ac promulgabitur.
 Ab armis utrimque discedetur.

Hi fere compositionis articuli ad manus
 nostras venerunt, quorum nonnulli tripli-
 cem faciunt distinctionem, Austriacorum
 scilicet, Hungaricorum & Bohemicorum:
 eos tamen distincte conscriptos nondum vi-
 dere nobis contigit, interim hos miscellos.
 Lectori damus ita uti nobis communicati
 sunt. Post hæc Imperatoria Maiestas Cardi-
 nali Dietrichstenio aliisque interpretibus
 atque internuncijs adhibitis, Hungarici re-
 gni insignia, coronam peruetustam, ensem
 S. Stephani, chlamydem siue togam auro ri-
 gentem, & pomum aureum ad fratrem Ar-
 chiducem trāsmisit: qui legatis obuiam in-
 structo militum agmine procedens summa
 cū totius exercitus gratulatione inter hor-
 rēdos bombardarum strepitus, ea & legatos
 magnifico plane & regali conuiuio accepit.

*Matthias re-
 gni Hungari-
 ci insignia
 accipit.*

His transactis, Archidux in Austriam re-
 dire parauit. Etsi autem sub capitali pœna
 edixerat, ne quis subditos aut incolas regni
 aliosve deprædaretur; caueri tamen nō po-
 tuit diffugientibus præsertim paganis & va-
 cuas ab alimētis domos relinquētibus, quin
 multum damni per agros fuerit datum, ab
 Hungaris præsertim, qui multa equorum ac

*Archidux
 Matthias
 discedit.*

Anno
1608. curruum præda onustorum milia abduxif-
se dicuntur. Accessit postea aliud intesti-
num malum. Nam è Cæsariano exercitu
nonnulli ob non soluta stipendia tumultu-
tes, multa passim licenter ac petulanter per-
petrabant, effracta etiam in Cæsarea quadã
arce, in qua puluis pyrius asseruabatur, tur-
ri, eoq; ad suum vsum distributo: ita vt quã-
uis Hungari vix culmum erectum relique-
rint, hi tamen spicas legere non dubitã-
rint.

*Hungari cœ-
duntur.*

Discedentibus Austriacis & Hungaricis
copijs, nobilis quidam Bohemus damno
irritatus, in saltu quodam transitoris Hun-
garis insidias struxit, cæsarum arborum cõ-
gerie obstructis vijs atque itineribus; eosq;
ex inopinato aggressus, ad nongentos con-
cidit. Hinc ira accensi Hungari, igne pagos
quosdam succenderunt: sed re ad Archidu-
cem delata, ipsi incendium restinguere sunt
coacti.

*Archidux
Matthias Vi-
ennam venit.*

Viennæ interim magni ad Archiducem
excipiendum fiebant tam publicè quàm
priuatim, apparatus, ciuibus omnibus sub
signa distributis, ac triumphalibus passim
portis erectis. Et Archidux quidem, facto
per Morauiam itinere, cum decem milibus
lectissimorum militum & magna procerum
caterua comitatus, 14. Julij Viennam venit:
ad quem excipiendum Magistratus prode-
untes

Anno
1608.

antes, pulcherrimam umbellam ferebant, sub quam Archidux receptus, atque ita urbem ingressus, sinistro lateri, extra tamen umbellam, aequitante fratre Maximiliano Archiduce. Aiunt tantum fuisse hominum concursum, ut pistores panibus coquendis non suffecerint; tantum verò tormentorum, bombardarum, campanarum strepitum, tantum populi clamorem, ut suum ipsius verbum vix quisquam audire potuerit. Archidux rubro holoserico aureis filis undique acu picto, amictus, inter publicas acclamations & gratulantium voces, gladium præferente Vrsenbecio, in arcem cōtendit: eaque nox, & sequentes aliquot dies per urbem epulis alijsque festiuitatibus mirum in modum sunt celebrati: Post hæc quæ ad regni Hungarici constitutionem & coronationem pertinent, deliberari cœpta: quæ quomodo processerit, suo tempore indicabimus. Heic te Deus Opt. Max. rogo atque oro, ut non Hungariam tantum, & vicinas Turcis regiones contra hostem potenter propitius defendas, sed vniuersam etiam Christianam Rempublicam fida ac stabili pace firmes ac custodias, ad nominis tui gloriam, & nostram omnium salutem. Ad alias regiones iam reuertamur.

De Comitijs Ratisbonensibus prima parte huius Tomi dictum est, quibus Cæsareæ

H 5

Maje-

Anno
1608.
*etors Archi-
ducisse Gre-
cienfis.*

*Friderici
Ducis Virten-
bergensis.*

Maieftatis nomine Ferdinandus Austriae Archidux praefedit; ad quem tarde interim precedente deliberatione, prius de morbo, postea de morte quoque matris tristi nuncio perlato, ea soluta sunt. In hoc conuentu Dux Virtenbergensis Fridericus, quum quietis amore, tradita maiori natu filio Ducatu administratione, in Mompelgartensem agrum secedere statuisset, Comitatus huius nomine suffragij inter Principes Imperij jus dari sibi petiuit, sed paullo post repentina fere morte abreptus ad alteram vitam migravit.

In Polonia Radziuilus Lithuaniae Palatinus, & Cocouitius regij exercitus dux armatis agminibus concurrerunt: quo quidem in proelio regij fusi ac fugati dicuntur, quingentis occisis, & amissis omnibus tormentis. Cracouiensis nihilominus Vaiuoda cum rege in gratiam redire cupiens, Cracouiam venit, & quorundam intercessione procerum eam impetrauit. Peiuscule tum rex habebat: ideoque lectica in atrium delatus dictum Vaiuodam ibi inuenit, cui tamen initio vix vlla benignitatis aut amicitiae signa exhibuit. Ast ubi is accessit, factique sui causas graui oratione exposuit, si quid peccasset deprecatus; rex aperto capite, & dextera porrecta amicissime cum amplexus atque alloquutus est.

E pri-

E primaria nobilitate duo tum capitalibus inter se odijs discedebant, vnus Stadislaus Stadeniscius, alter Opolenscius nomine, vterq; diuitijs & clientelis supra priuati modum pollens. Sape à ministris & militibus quos vterq; alebant, ad manusventum, ac caedes vtrimq; perpetrata. Tandē Opolenscius viribus impar, inimicum insidijs excipere decreuit, corrupto pecunijs Italo quodā, qui Stadēiscio militabat, cēturione siue militū ductore. Inter eos aut ita cōueniati vt si Stadeniscius suos ad praeliū educeret, Italus cū suorū manu à pugna quiesceret, vel etiam ad Opolensciū trāsiret. Quod & non minus perfide quam promiserat, Italus præsistit: ita vt Stadeniscianis compluribus caesis, proxima eius arx à victore occupata & direpta sit, in qua aiunt opulentissimam prædam multis ducatorū milibus aestimatā, repertā. Clade hac accepta, Stadeniscius ad fratrem magni nominis, auctoritatis & potentiae virum se contulisse dicitur, atq; inde bellum & vltionem hostis meditari.

Quamuis autem complures Racusanorū (quo nomine patriæ linguæ ij appellantur, qui in superioribus comitijs, quæ Rakosch vocant, multa de rege conquesti, multa in imperio mutari atque emendari petierant) ad regem transirent, deserto federe; ali-

Anno
1608.

alij nihilominus in cœpto persistebant, & copias non contemnendas circa Lublinum ac alibi per regnum dispositas habebant, è quibus tamen multi quum stipendiariorū inopia, tum regij nominis metu dilabebantur.

Suecica.

Circa hæc tempora & Carolus, qui pro Sueciæ rege se iam fert, & Rigenses missis in Hollandiam Legatis, militis ibi colligendi sibi potestatem fieri rogarunt: quod quidē apertè vtrisque denegatum, clam tamē permissum, vt Carolus Gallos quosdam duces & tribunos rei militaris peritissimos, qui Ordinibus hæctenus, & regi antea militauerunt, conduceret, qui in Galliam profecti, non exiguam militum manum breui conferunt, cumque ea in Sueciam traiecerunt. Tum quoq; Persicus è Suecia in Hollandiã venit Legatus, qui munere suo apud Cæsaream Majestatem & alios perfunctus, per Septentrionalia illa regna domum redire statuerat, sed Moscis iter impredientibus, diu ibi hæserat, frustra omnia expertus. Vnde tandem hoc de adeunda Hollandia consilium cepit, sperans eius gentis & Anglorum beneficio se facilius ad suos peruenturum. Dantiscanis quoque idem Carolus vehementer minatus esse fertur, quod Polonos contra se iuuare pergeret: jamq; dum hæc scribimus: Rigam obsidere excitatis multis

multis passim castellis & munitiōibus, ad-
ducta; in signi classe, nunciatur.

Anno

1608.

Ex Hibernia Comes Tironius rebellium *Hibernica*
caput, vnà cum filio suo Barone Dongan-
nonio & vniuersa familia; nec non Comes
Tirconellus profugerunt. Tironij huius pa-
trem è fabri ferrarij vxore natum quidam
tradunt, quæ filio prospicere cupiens, è no-
bili quodam cum prognatum asseuerauit.
Filiū verò Elisabetha regina Comitatus
dignitate ornauit, hoc modo ad retinen-
dos in officio Hibernos eum magis ob-
noxium reddere sperans. Tirconellum, qui
Comitis Kildarensis filiam, Anglici Tha-
lassiarchi è filia neptem in vxorem duxerat,
modernus rex ad Comitatus dignitatem e-
uexit: sed vterque Catholicæ religionis, vt
quidem præ se ferebant, studio, nouis rebus
studere non cessabat. Quum verò regem
portus omnes, atque oppida munire, idque
agere animaduertent, vt Hiberniam à se-
ditionibus & motibus intestinis purgaret,
sublatis omnibus caussis; in Galliam traie-
cit, atque inde priusquam id ab Anglico O-
ratore impediri posset, in Artesiam conten-
dit, ac Binsij salutato Archiduce, religionis
ergò ad Aspricollem Virginem & Diuam
profectus est, vbi que hospitaliter & magni-
ficè, Bruxellis maximè à Marchione Spino-
la, Roderico Lasso, & Gastone Spinola
splen-

Anno
1608.*Rex Angliæ
libellum edit
contra Tiro-
lensium.*

splendide exceptus. Caussam fugæ suæ præ-
tendebat, Catholicæ religionis studium, pe-
riculum etiã quod in Angliam sibi ob con-
trouersias quasdam de jurisdictione ciuili ad
forum euocato sibi intelligeret. Audita ho-
rum Comitum fuga, Iacobus magnæ Bri-
tanniæ rex publice edito libello caussas has
refutare ipse non dubitauit: cuius sententi-
am tanto libētius ponimus quanto libellus
ille ab excellētiori manu ipsius scilicet regis
(vti a fide dignis accepimus) conscriptus est
& formatus. Ac primum, Tironium, ait, &
Tirconellum Comites jam profugos nullis
maiorum imaginibus aut nobilitate, nullis
virtutum ornamentis commendatos, tam
à se quam superiori regina ad hanc dignita-
tem euectos, alijsq; quibus cū nec genere,
nec quauis alia re comparandi sint, præla-
tos fuisse, sed tantum ob caussas quasdam
ad regni Statum pertinentes. Deinde, Sole,
inquit, meridiano clarius esse, prædictos
Comites nullam aliam ob caussam in fugã
se dedisse, quam quod malæ eos conscientie
metus morderet atq; exagitaret. Quamuis
enim fugæ suæ religionis caussam prætexant
(cuius velo nimis quã multi hodie ad ne-
quitiam suam & seclerata consilia abutan-
tur) addito alio non minus vano prætextu,
metu scilicet parum æqui in controuersijs
quibus-

quibusdam iudicij, & imminentis inde sibi periculi: hæc tamē omnia tam futilia tamque leuia esse, vt nulla egeant refutatione. Et quidem ad nequitiam & perfidiam eorum ostendendam nullis alijs argumentis opus esse quam quæ non ita pridem & superiori tempore perpetrarint. Nam & a Domina & regina sua defecisse, & patriam auro venalem habuisse, ac reginæ suæ hostibus prodidisse, multaque eiusmodi perpetrasse, vt vix in hominum numero, sed pro Naturæ monstris habendi. Hæc quamuis toti mundo vt dictum est, pateant; se tamen facere non posse quin falsos eorum prætextus refutet atq; amoliat. Principio igitur, se fide rege digna sancte affirmare, nunquam sibi in mentem venisse vllum eis religionis causa negocium facere aut litem intentare. Vt quid enim religionis causa eis molestiam exhiberet, qui cædem nequaquam pro maleficio, nec matrimoniū pro consuetudine siue laudabili more ex gentium jure, nec pro viro bono eum habeant, qui non de cædibus, rapinis & violentijs magnifice possit gloriari? Imprudenter ergo ac stultè plane facturum (suo quidem iudicio) qui hominibus omnis religionis expertibus religionē imponere, aut conscientijs eorū quas nullas habent, imperare conetur. Quod vero ad alterū illud attinet, metum

Anno
1608.

metum scilicet ne regem in controuersijs
suis parum æquum iudicem experirentur,
illud negari non posse omnia quę habeant,
ex regia & mera liberalitate eos obtinere,
post nefariam scilicet proditorem, ob da-
ta aliquot pœnitentię indicia, in gratiam re-
ceptos, se nihilominus eorum rebus quàm
cuiusquam ex omni competitorum nume-
ro, fauturum fuisse, nisi ijs in rebus quas ad
augendam suam ipsorum dignitatem, & a-
lios multò meliori loco natos opprimen-
dos, & regię dignitatis ac iuris immunutio-
nem moliri eos intellexerat, dum nulli de-
pendentię siue clientelę fiduciarię se subie-
ctos ferunt. Sed neque ipsos inficiari posse,
rebellionis paullo ante fugam rursus à se
sparsa semina; quin & exteris Principibus
regnum inuadendū ac diripiendum, suam-
que operam, modò ea uti vellent, obtulisse;
hac inter ceteras perlata quoque conditio-
ne, ut regno occupato, & ab Anglorum im-
perio liberato, omnes qui in Hibernia ex
Anglorum prosapia genus trahere depre-
hendentur, interneccione deleantur. Sed &
totum hoc promissum atque oblationem
minimè, uti sperarant, ab exteris Principi-
bus acceptatum, sed explosum fuisse. Fir-
miter ergo sperare, tantum hanc suam De-
clarationem apud alios Reges, Principes &
Status pondus habiturā, ut tam scœdis crea-
turis

Anno
1608.

turis, earumq; si quas forte contra ipsum evomerint, calumnijs minime fidem sint habituri, sed tamquam rebelles infidelitatis & summæ ingratitude reos, habituri atque detestaturi.

Hęc summa est ab ipso rege dictati & conscripti libelli: an vero & quid Tironius & socij aliquid responderint, aut responsuri sint, nobis nondum constat. Tironius quidem jam Romam cum vxore & liberis ap- pulisse, & quum à regijs passim per Italiam ministris, alijsque Principibus, tum ab ipso Pontifice liberaliter exceptus esse fertur. Rex verò cōscijs quibusdā è nobilitate Hibernica in vincula coniectis, & in Angliam abductis, missis novis delectibus, portus omnes arces & oppida multo quam vquam antea diligentius muniuit. Huius nihilominus anni æstate noua rebellio à Tironianis reliquijs est excitata, & arces aliquot ab ijs direptæ atq; incensæ? sed quod nullis exteris auxilijs subniterentur, plus metus ab ipsis fuit quā periculi: quem tamē & ipsum ex Anglia missa subsidia compreserunt. Ad Pacificationē Belgicā redeamus.

Tironius Romam pergit.

Commissarij Hagam proficiscuntur.

Iactis futuræ tractationi, ita vti diximus, à R. P. Naio & Verreickio fundamentis, Archidux Hagam Comitibus ablegauit Ambrosium Spinolam Genuatem, Ducem Sanseuerini, Principem Sarauallæ, Mar-
I chio-

Anno
1608.*Spinola &
Mauritij
congressus.*

chionem Venafri, equitem aurei velleris, & Catholicæ regiae Maiestatis supremū in Belgio exercituum ducē: cui adiuncti sunt Ioannes de Mansicidor, Hispaniarū regi in rebus bellicis à secretis: Ioannes Richardotus, præses Senatus, &c. P. Ioannes Natus, & Ludouicus Verreickius. Hi cum trecentis circiter comitibus & famulis, & quadraginta curribus iter ingressi, & à vicinis Confederatorum præsidijs excepti & deducti, ipsis Calendis Februarij quum non procul Haga-Comitis abessent, ad pagum Risuicum Mauritium, Gulielmum & Henricum Nassouios, cum septuaginta circiter equitibus, & octo cisis obuios habuerunt. Aiunt in primo hoc congressu magnam in utroque vultus deprehensam fuisse mutationem, qui sane non minus admirationis apud multos habuit, quam Hannibalis olim & Scipionis. Mauritius prior Spinolā in hunc sensum Gallica lingua alloquutus esse dicitur: Deus qui solem hunc oriri facit, qui que intima mearum cogitationum perspecta habet, nouit quam gratus quamque optatus mihi sit vester conspectus & aduentus: tempus etiam, cuius Veritas est filia, verbis meis numquam fidem derogabit, aut mendacij conuincet. Ad hæc Spinola hunc ferme in modum respondisse

Anno
1608.

spondisse dicitur: Profecto, spes votis meis hodie plane satisfecit, adeo ut modum mihi abstulerit plus aliquid sperandi aut optandi. Nihilominus certo confido, Deum mihi eam gratiam largiturum, voti que compotem ita facturum, ut pro tam obuia atque insigni humanitate, mihi ab excellentissimo Principum quos sol intuetur, præstita, gratus esse ac paria facere possim. Hac peracta salutatione, Spinola humaniter à Mauritio rogatus, prior in Mauritij castrum ascendit, & à dextris eius confedit. Hos sequenti sunt Comes Henricus Nassovius cum Richardoto; Gulielmus Nassovius cum Secretario Hispanico: Patrem Naium & Verreickium Ernestus & Ioannes Nassovij, junior quidam Comes Hohenloius, cum magna nobilitatis caterua deduxerunt.

Interea Ordines Confederati è suis aliquot elegerunt qui cum Hispaniarum Regis & Archiducis delegatis de pace tractarent: Gulielmum Comitem Nassovium, Frisiae gubernatorem: D. à Loen è Gelria: D. Valrauum Brederodium & Ioannem Oldenbarnefeldium ex Hollandia. D. à Maldere ex Selandia: D. Nicolaum à Berck è ditione Ultraiectina: D. Gilman ex Frisia: D. Slotium ex Transisulana. D. Abelem Conderu ex vrbe & agro Groningensii:

*Nomina ab
Hollandis de
Legatorum.*

Anno
1608.

gensis: vnà cum Graphiario Consilij Status,
Brokio, Syndico Dordracensi.

*Consultatio
de nauigatione.*

Primi aliquot dies postquam regij delegati Hagam appulerunt, epulis & amicis colloquijs exacti sunt, quibus modo Spino-la & socij Comitum Mauritium, & aliorum Regum ac Principum Legatos, modo hi illos conuenerunt. Postquam ad tractationem ventum est, & illud de Confederatarum prouinciarum libertate & veluti emancipatione discussum: ad secundum caput ventum est, de libera nauigatione; in quo statim aqua, quod dicitur hæsit. Regij quidem Confederatis à rege & Archiduce potestatem permitti aiebant, ad quæcumq; ipsorum dominio subiecta regna, prouincias & insulas nauigandi, ibiq; negociatione & cõmercia sua exercendi, velle tamen vt ab Indica nauigatione tã Orientali quã Occidentali omnino abstineant. Nulla res v̄mquã Hollandis eorumq; socijs magis displicuit, ac tanto magis quod pleriq; omnes etiam qui habenas jam moderantur, mercaturam exercent: statimq; fuerunt qui non vocibus tantum, sed publicis etiam propositis libellis contradicerent, ac magistratum ne vlllo modo in hanc petitione consentirent, hortarentur. Quas verò illi rationes afferant, operæ precium videtur ex ijs ipsis libellis compendiariè repetere.

Ac

Anno
1608.

Ac primo inquit, amicam conuersationem & mutuam commerciorum exercitium indiuidua quodam societate Pacem concomitari, idque ex ipso iure gentium: quum conuersatio & commerciorum societas amici animi & pacati sint indicia, quæ etiam nemini nisi hosti, negentur. Ea propter nullum reperiri exemplum, Pacem vmquam ita factam, vt mutua conuersationis & commerciorum societas exclusa fuerit. neque enim hoc pacis esse signum, sed exsilij & proscriptionis pœnam, quæ non nisi hostibus & maleficis irrogetur. Quod ergo Hispani ab Indijs nos exclusos eosque qui in illis reperti fuerint vt hostes & prosriptos libidini suæ permitti volunt, idem est ac si petant vt nos pacem in Indijs ipsis indulgeamus, ipsis verò bello ibidem nos persequi liceat, neque nos contra vel hiscere audeamus. Quæ quidem propositio siue petitio primo iniquitatem habet manifestam: deinde captiosa est & fraudulenta. Quid enim hoc est, verbis nobis Libertatem & summum in nostris prouincijs imperandi jus tribuere: reuera autem multo viliori seruituti subijcere, quàm sub ipso Principum nostrorū imperio fuimus? quumq; pacem petamus, quid attinet nos bello multo iniquiori implicare, si Hispanis in nos sæuendi in Indijs concedamus licenti-

Quibus rationibus mercatores Hollandi Ordines instigent ad retinendam Indicam negotiationem.

Anno
1602.

centiam, nostri verò defensionem ei eremus, ac velut ipsi vinctos nos eis obijciamus? Deinde, ecquid impudentius à nobis quorum opes fere omnes in nauigatione consistunt, quique mercatores nautasque omnium exercitatissimos habemus, postulari posset, quam vt maiori parte Oceani, & opulentissimis, & ad vberem ac copiosam mercaturam quam maxime opportunis regionibus, nos ipsos veluti proscribamus? præsertim quum id ad eas quoque regiones in quas nihil Hispani juris habent, atque adeo ipsum mare, cuius vsus omnibus, iure gentium communis est, extendere velint. Hoc profecto, inquiunt, nihil aliud sit quam neruos vniuersi nostri Status incidere, qui sine libera nauigatione & commerciorum vsu in hoc bello nequaquam tam diu potuisset consistere: quibus quantum decedit, tantum etiam viribus nostris detrahatur necesse est. neque enim ea est patriæ nostræ conditio, vt nostris nos domique natis opibus tueri possimus. minus angusti sunt eius fines, quam vt tantæ hominum multitudini alendæ sufficiant. Ex Indice societatis quæ in orientali India negociatur, patet, in ea jam esse quadraginta naues, cum quinque hominum milibus; atque inde capitalis Summæ à mercatoribus expectari

Anno
1608.

spectari trecentas auri tonnas. In Guinea
 quotidie negociantur viginti circiter no-
 firorum naues, & homines quadringenti:
 eaque negociatione duodenæ auri tonnæ
 quotannis permutantur. Ad punctum del
 Rey (quæ pars est Indiæ Occidentalis) cen-
 tū naues comeāt (in quibus homines sunt
 circiter mille & octingenti) salem adue-
 hentes, cuius vectura & precii quotannis
 decem auri tonnas reddiderūt. Mercatura
 pellium aliarumq; mercium, quā nostri in
 Cuba & Hispaniola insulis exercent, vigin-
 ti nauibus, in quibus mille & quingenti
 viri, hætenus fuit frequentata, ac quotānis
 non minus quam octo auri tonnas reddit.
 Cuius pecuniæ summa in vniuersum est:
 trecentæ triginta auri tonnæ. Naues, nu-
 mero centum & octoginta. Nautarum &
 vectorum octo milia, septingenti. Hæc si
 cum reliqua omni negociatione conferan-
 tur, semissem ferè omnis lucri quod mer-
 catura adfert, efficere aut etiam eo amplius,
 deprehendentur. Et quamuis nemo nisi
 particularis sui quæstus gratia mercaturam
 exercet: certū tamē esse publicas opes & vi-
 res priuatorū opib⁹ inniti, neq; has sine illa-
 rum debilitatione minui posse. Tam nauū
 enim quam nautarū multitudinē publicū
 esse robur, qui priuatis mercatorū sumpti-
 bus interea sustentantur dum eorū operam
 I 4 publicæ

Anno
1608.

publicæ requirunt necessitates. Neq; verò rei naualis potentiam regionum amplitudine aut virium magnitudine, sed nauium instructissimarum, & nautarum apprime exercitatorum copia æstimandam. Astute agere Hispanos, confederatis liberum suis imperandi jus offerentes, ad speciem quandam dignitatis, sed quæ nihil utilitatis habeat, neque vel hilum roboris addat. Quæ verò stultitia sit cum vmbra hac reuera inani, optimam ac quæ stuosissimam mercaturæ ac negociationis partem commutare? Id scilicet eos spectare, quomodo his crepundijs deceptos paullatim eneruent ac debilitent, vt postea tanto facilius opprimi queant. Liquere id ex ipsorum confessione. Aperte enim dicere, hanc præcipue causam regi esse & pacem offerendi, & juri suo renunciandi, vt scilicet Indiarum possessionem quietam atque imperturbatam retinere sibi liceat. Quæ causa illum mouerit ad pacem faciendam, dubium non esse quin eadem ad colendam ac inuiolate seruandam inductura ac quasi cōstrictura sit. Sublatis causis, tolli effectus; & mutato rerum statu, mutari quoq; Principum cōsilia. Ab hac nauigatione si semel excludi se sinant, semper postea exclusos fore, soluta mercatorū societate qui statim absque

absque dubio in alia regna huic interdicto non obnoxia commigraturi sint. Iam quæ perfidia futura sit, si miseri Indi, ad arma contra Hispanos capiēda ab Hollandis inducti, eorum libidini atq; iræ obijciantur? Quis enim ambigat, Hollandorum metu liberatos Hispanos ultionem ab Indis expetituros, omnemque iram in ipsos effusuros? Præterea, boni magistratus esse, vel minimi ciuis publica onera sustinentis, res atque emolumentum promouere; quid viginti milium, qui omnes ex hac negotiatione victum sibi quærunt? Maiores olim grauissima bella gessisse, vt nauigationem ac mercaturam tuerentur; quæ tamen tenuis admodum fuerit, adeo vt omne eius precium vix nudis quæ iam in India negotiantur nauibus æstimari possit. Hac euerata nauigatione, incolas offendi, amicis ac hostibus contemptus materiam præberi. Incolarum quidem indignationem iustam fore, destitui se videntium, ac victus inopia, patrijs sedibus exturbari. Amicos & confederatos non sine causa eorum fidem suspectã habituros, qui Indis eam tam bene de se meritis nequaquam seruauerint, immò ne ciuibus quidem; quos speciosi tituli ambitione, bonis & fortunis omnibus euertunt, patrioque solo exgerint. Quod aiunt, satis esse nobis debere, quod ea nobis nauigatio

Anno
1608.

gatio eaque negociandi licentia indulgeatur, qua ante bellum hoc vsi fuimus, idem profecto est ac si dicerent, velle se vt ad priuam imbecillitatem redigamur, quam contra omnium opinionem ac ferè contra rationem, bellum à nobis depulit, & ad eam potentiam, cuius nos pœnitere non debet, prouexit. Si enim non melior iam sit nostra conditio, non tutius robur; quam facile præ de nos sint habituri? Esto: nō vsi sumus antea Indica nauigatione. At iure gentium vti ea nobis licebat. Vetat rex Hispaniarū. Quis? is scilicet qui hæreditarius est Princeps Belgicarum prouinciarum. An verò tam viles illi Belgæ sunt subditi, vt ad Hispanos ditandos tot tantisque emolumentis eos priuare velit? Numquid sub iuramenti solemniter præstiti religione tam Belgarum quam Hispanorum vtilitatem promouere tenetur? ne dicam (quod vix hostis prohibeat) liberum aeris & maris vsum relinquere? lam vero quã pulchre os nobis sublinunt, dum simulant se nobiscum tamquam cum libero & sui iuris populo tractationem suscepturos; interim vero vilissimam omnium & indignissimam seruitutē imponere conantur. Illud quoque antequã tractatio inchoaretur, cautum fuit, vt quæque pars id quod haberet, retineret; at nunc præstantissimam ac maxime fructuosam possessio-

Anno
1680.

possessionē extorquere nobis tentant, atq; vnā potentiaē nostrā naualis semissem. A-
iunt, eius loco Hispanicam nobis permitti
nauigationem: qua equidem nunquam ca-
ruimus, si non per nos aperte, saltem per a-
lios clam. Nostris illi liberum præbent adi-
tum; nos eo nauigandi facultatem damus:
quod profecto non minus est quam illo-
rum in nos beneficium. Fame enim pressæ
Hispaniæ classēs nostræ annonam aduehūt:
eadem regis portoria & vectigalia pluri-
mum augent. Quid quod hoc modo & pe-
cuniam nostram, & naues, & nauitas, om-
nemque apparatus naualem in sua habet
potestate? quibus si manus iniiciat, facile
nos ad quasvis cōditiones potuisset adige-
re. Et adegisset sane, quando superioribus
id fecit annis, nisi ad Indias nos cōuertisse-
mus, eamque nauigationem fuisset au-
spicati. Hęc aliaque multa in lucem quoque
typis excusa protruserunt Hollandi merca-
tores, Indiæ negociationis lucro mirifice
inescati, eiusque quam pacis amantiōres:
quæ nos hoc loco ideo inferere volumus,
vt quæ remora paci obijcerentur, prudens
Lector intelligeret. Nunc ad alia vt transea-
mus ordo poscit.

E filiabus suis Serenissimus Sabaudia
Dux vnā Cæsari Estensi Mutinæ & Rhe-
gij Principi (Alphonsi Ducis Ferrariensis
olim

*Nuptia Esten-
sis & Sabau-
dæ.*

Anno
1608.

olim filio naturali, cui brevis lis de Ferrariensi Ducatu cum Pontifice Romano fuit) in matrimonium collocarat. Quam ille domum deducens, ipso Palmarum festo Placētiam venit, duobus sponsæ fratribus inter cæteros comitatus. Quibus Parmensis Princeps cum quadragintorum nobilium globo ad quartum vsque miliare obuiam processit, ac humaniter exceptos, & in urbem introductos, magnifice ac splendide tractauit. Duo illi iuuenes Sabaudix Principes Venetias profecti, quamuis genus suū & statum dissimularent, à quibusdam tamē agniti, & à Senatu epulo excepti sunt, ostensis omnibus quæ ea in vrbe visu digna habentur.

Embdensia.

Superiori anno similtas inter Comitē OstFrisiæ & ciues Embdanos recruduerat, Embdanorum enim naues in Hispania & Lusitania regis edicto detentæ fuerant, sed paullo post ij qui à Comite acceptas saluiconductus litteras cōmonstrare poterant, dimissi, retentis tamen, quas ad Hollandos pertinere suspicio erat, circiter triginta; & nautis vel ad remos damnatis, vel in regias naues bellicas, vel in Indiam nauigaturas impositis. Vnde inter ciues seditio fere exarsit, feminis passim maritos captiuos, liberis parentes deplorantibus: cuius rei omnē culpam in urbanum conferebant magistratum,

Anno
1608.

tum, qui scilicet ab Hollandis totus pendens, tot iniurijs tam Hispanos quam Comitem laceffuisset. Hinc Senatus missis celeriter nuncijs, ab Ordinibus confederatarum prouinciarum auxilium petierit: qui occasione minime defuerunt, statimq; duo hominum milia sum miserunt, qui ab Embdanis primo in suburbia & antemœniana, hoc vero anno etiam in ipsam urbem recepti sunt, eiectione ex arce Comitis Vicario, additoque interdicto, ne quis posthac nautarum literas comeatus à Comite, sed à Mauritio & Ordinibus confederatis acciperet.

*Lotharingus
meritur.*

Hoc anno, mense Maio, Illustrissimus Princeps Lotharingæ annorum plenus, ardenti febre, intra septem dierum spacium extinctus est: ob singularem erga Catholicam Romanam Ecclesiam, aliasque multas dignissimas Principe virtutes, longiori vita, quamuis senex, dignus. Ei successit filius natu maximus, Bari Dux, cui Galliaru regis soror matrimonio fuerat copulata.

*In India ab
Hollandis
gesta.*

In Hispania magnus hoc anno fuit naualis apparatus, ac nauæ omnibus ex partibus conquirebantur. Rumor enim percrebuerat, Hollandos Malaccam, vnam ex præcipuis Indiæ Orientalis urbem expugnasse: qui tamen vanus postea deprehensus. Liburnica enim è Brasilia Vlyssyponem appulsa

Anno
1608.

pulsa; hæc fere nunciauit; Ex septem nauibus Lusitanicis, quæ iter ad Goam instituerant, tres tantum appulsas; tres tempestate marisque fluctibus absorptas; unam à septem Hollandicis nauibus ita oppugnata ac laceratam, ut vectores, abiecta se defendendi spe, in lembos se coniecerint, & ad proximum litus exscenderint, immisso in nauim igne: quem tamen Hollandi extinxerint, ac egestis omnibus quæ placebant, eam coniecta flamma concremarint. Addebat, Hollandos cum septem nauibus portum & insulam Mosambicensem continuos duos menses obsidisse, arcem etiam tormentis iam conuerberare cœpisse: sed medio in conatu grauissimum inter eos exortum morbum (est enim, ut oēs Geographi phibēt, aer ibi loci valde pestilēs) coactos ab obsidione recedere, in Gomera insula, ad reficiendos egros, exscensionem fecisse. Vbi dum desident, naues tres quæ Vlyssipone soluerant, in portum Mosambique, nemine impediēte, inuectas, quas aduexerant copijs arcem ita munijse, ut qui ante animum perire desponderant, tunc planè respirarint. Hollandos reuersos, Goam vela direxisse, in illoque sinu onerariam Lusitanam interceptam diripuisse. E Malacca nūciari, quinque naues Lusitanicas à septem Hollandicis diu & acriter oppugnatas; verum ita exceptas, ut due-

ut duabus in profundum depressis, vna
combusta, reliquæ vehementer lacere in fu-
gam se dederint. Hac victoria Hollandis
confederatos regulos perterritos, Lusitano-
rum gratiam vtrò rursus ambiisse.

Sane non felicissime aleam Hollandis ad
Malaccam cecidisse, colligere liceat ex epi-
stola quadam Belgice Roterodami impres-
sa, Cornelij Matteliuij, classis quæ Anno
MDCV. in Indiam Orientalem à mercato-
rũ societate missa fuit, præfecti; cuius hæc
fere est summa: Se mense Martio Anni
MDCVI. Sumatram insulam in conspectu
habuisse, quum assequi eã non posset, ad Ni-
cobares insulas cursum deflexisse, & aquã
recentem ac nucum Indicarum aliquantu-
lũ nauibus intulisse, dein lustratione clas-
siariorum ac nautarum facta, consilium vel
mandatum societatis de vrbe Malacca op-
pugnanda eis aperuisse. Ad eam quum cir-
citer xv. Aprilis appulisset, naues quasdam
incendisse, ac de exscensione ac terrestri op-
pugnatione quã primũ instituenda delibe-
rasse: sed maiori parti visum, Iorani regis cõ-
federati, qui in procinctu esse dicebatur,
copias expectãdas. Ita rē ad 18. vsq; Maij pro-
tractã, quo die vnã cũ rege Iorano tria circi-
ter virorũ milia secũ habēte, copias in terrã
exposuerit. Lusitanos circiter 3000. è lito-
re in suburbia, ac deinde incensis suburbijs
in op-

*Cornelij
Matteliuij
in Ind. a
Orientalib
res gestæ*

Anno
1608.

in oppidum sese recepisse, deiecto ponte. Oppugnationem exiguo cum successu ad xv. usque Augusti continuatam solvere tandem constituisse, allata fama de Lusitanicæ classis ad Rachado promontorium iam stantis adventu. Malaccenses discedentium terga inuasisse; sed repulsos. Ægre tormenta in naues retracta. Incolumes tamen, præter paucos in pugna desideratos, cum omni apparatu in naues rediisse, & contra hostilem classem cursum direxisse, xiv. Gallionibus, iv. Galeis, & xvi. Fregatis constantem. Decimo octavo acrem conflictum editum, dubia victoria; nisi quod Lusitanos plures milites amisisse, ex captiuis postea cognitum sit. E sua classe duas naues incendio periisse; saluis tamen vectorum plerisque, qui postea intempestiva sollicitudine multis ignaviæ, atque etiam rebellionis fomitem subministrarint. Quum enim nautis & classiarijs pro mercede naues qua singuli vehuntur, essent hypothecatae; eos qui hypothecam hanc suam amiserant, scire voluisse, ecquid deinceps hypothecæ ipsi loco habituri essent? hinc reliquis nequaquam eundem animum atque audaciam mansisse, ac fere hostis congressum declinasse, quod simul cum vita hypothecam suam tam prompte periculis obijcere nollent. Quum amplius heic operæ precium facere non possent,

Anno
1608.

sent, ad Ioram contendisse, vt & reſectis
 nauibus de rebus necessarijs ſibi provide-
 rent, & eius gentis regem animarent atque
 incitarent. Hinc repetito itinere, xx. Octo-
 bris ad Malaccam rediſſe. Redintegrata pu-
 gna, tres triremes à ſe expugnatas & incen-
 ſas, in quibus quadringenti circiter fuerint
 claffarij: non tamen incruentam fuiſſe vi-
 ctoriam, amiſſis circiter ſeptuaginta lectiſ-
 ſimis viris, qui dum prædam cupidius ſectã-
 tur, & ad ardẽtem vnã triremem propius
 accedunt, igne in puluerem delapſo, in aera
 & auras deſiecti ſint. Ad Malaccẽ poſtea pro
 regem captiuos centum ſeptuaginta quin-
 que albi coloris omnes (æthiopum enim
 ſiue Nigrorum longe maiorem fuiſſe nume-
 rum) miſiſſe, hac conditione, vt captiui om-
 nes tã Malaccã quã alibi in imperio eius
 detenti remitterentur. Primarijs quibuſdã
 lytri nomine, aliquot Ducatorum milia,
 inter claffarios viritim distribuenda, impe-
 rata atque exacta. Inde ſe Quedã ad eius
 loci regem ſollicitandum & contra Luſita-
 nos armandum, nauigaſſe; eiusque rogatu
 tres Fregatas Luſitanicas non procul inde
 ſtantes, incendiſſe. hoc ſucceſſu elatum re-
 gem viginti Luſitanos qui Quedã negocia-
 bantur, interfici iuſſiſſe, exiſtimans Hollan-
 dis hoc modo ſe valde gratum facturum. E
 literis interceptis poſtea intellexiſſe, Luſi-
 K tanicam

Anno
1608.

tanicam classem ad Pulo-Butonam insulam in anchoris hærere. Cursu ad eam directo, ita firmata omnia deprehendisse, ut omni spe eius oppugnandæ abiecta, ad Pulo-Langeuiam sint velificati. Iam se in Moluccas (qui præcipuus scopus) iter adornare. Amboinam enim subsidio valde egere, Ternate à Lusitanis, Petro Acunia duce, expugnata. Bandæ incolas (ea est Moluccarum vna, in qua Hollandi aliquot mercaturæ gratia superioribus annis domicilium fixerant) petulanter ac perfide pæne agere. nec merces nec mercatores ab ipsorum iniurijs esse tutos. Cum his vna vel altera via procedendum. Interea è nauibus quasdam ad circumiacentes insulas, & emporia missurum; se vero cum sex nauibus Bantam in Iaua maiori profecturum.

*Apparatus
naualis in
Hispania &
Italia.*

Etsi vero illud, ut diximus, de Malacca ab Hollandis expugnata falsi compertum fuit; Hispaniæ rex nihilominus, tum in Hispanijs, tum Neapoli ac Genuæ in Italia ingentem classem armavit; non solum ut Hollandos Indijs expelleret, verum etiam, uti putatur, ut in Africa contra infideles Mahumetanos aliquid tentaret. Et Vlyssipone quidem veris initio xiv. naues instructissimæ in quibus armatorum quinque milia fuisse dicuntur, Malaccam & Goam versus vela fecerunt. Neapoli præter triremes,

Anno
1608.

mes minoara liquot nauigia cōstructa sunt, ad exponēdum in terrā militem idonea. Ei Marchionem S. Crucis præfectum aiunt; Principi vero Asculano terrestre imperium commendatum. Volonum nobilium magnū esse numerum, classiariorum duodecim milia, ex Italiæ præsijs passim missorum. Liorno quoque magnus Hebruriæ Dux classē quam ornatissimam contra Turcas & insulas per Archipelagum sparsas emisit; qui superioris temporis successu, expugnata inter alias à suis Chio insula, & direpta, alacrior factus, ad Turcarum vires frangendas optimo conatu animum totus conuertisse dicitur. Aiunt Turcarum tyrannum vehementer ei minatum, à quo tot damnis esset affectus; ipsum vero nihil aliud quam affatim visisse, ac vouisse, multo se maiora, Deo auxiliante, damna ipsi illaturum. Ad hanc idem Dux proscriptos omnes euocauit, promisitque eis qui hac in expeditione bonam & fortem operam præstarent, se veniam delictorum concessurum atque in gratiam recepturum.

In Hollandiam hac æstate è Moluccis tres naues reuersæ sunt, quarum nomina: septemdecim Prouinciæ, Niger Leo, & Magdeburgum. Eę quamuis varijs tempestatibus iactatæ ac valde afflictæ

Anno
1068.

fuerint, portum nihilominus tenuerunt, aduehentes trecenta onera nautica garyophyllorum, centum nucum myristicarum, quinquaginta macidis, tum gemmarum, serici facti atque infecti, cinnamomi, aliarumque preciosissimarum rerum vim non exiguam. Interim tam publicis Ordinum quam priuatis mercatorum sumtibus Amsterodami valida classis armabatur, Hollandis in India suppetias latūra.

Lis inter Iuliacensem & Aquilgranenſes.

Inter Ducem Iuliacensem & urbem Aquilgranensem iam ab antiquo controuersia quaedam & similitates intercesserunt, quae hac aestate repullularunt. Hinc Iuliacenses itinera omnia ad urbem diu obsederunt, ac ciues eorumque bona praedae suis dederunt. Aquilgranenses vero conductis aliquot militibus, ad defensionem itidem se compararunt. Tandem Electoris Coloniensis, & Mantuani etiam Principis, qui per id tempus Colonia Bruxellasiter habebat, res ad pacificationem deducta, iam vero proximo hoc conuentu Dusseldorpij celebrato plane, ut rumor est, sopita est & composita.

Demetrius superstes esse feritur.

Hac aestate Demetrius magnus Moscoviae Dux rursus reuixit: iamque non uiuere tantum, sed profligato etiam aemulo regnare dicitur. Sed quum regiones illae longissime a nobis distitae sint, neque certum quid exploratum adhuc habeatur; nos fidem penes

nes auctores huius rumoris relinquimus; lubenter si quid certi constiterit, Lectori communicaturi.

Anno
1608.

*Lindaxie tē-
plum de cælo
tactum.*

Lindaviæ (quæ ciuitas est & emporium satis celebre, in lacu Podamico, Venetiariū instar, vdiq̄ue circumfluente situm) xxv. Iulij templum ac turris de cælo tacta sunt, vnde atrox excitatum incendium, quo turris deflagrauit, & campanæ liquefactæ sunt, & templi tectum vastatū fuit. Flamma tam conspicua fuit, vt è vicinis etiam remotioribus locis multi ad restingueudum incendium quod multas horas durauit, accurrerint; sed pauci tantum, quorum opera necessaria esset, sunt intrōmissi. Fulmina hæc antiqui (quamuis etiam res multo leuiores) inter prodigia numerarunt; nobis Germaniæ nostræ male ominari non libet.

Amsterodami mense Iulio duo classiarij ob proditionis machinationem suspensi, & aliquot ad remos damnati sunt. Ordinibus hi confederatis militabāt in nauī quadam bellica, ad portum Dunkerckensem stationem siue excubias agente. Nauarcho absente, qui negocij causa in terram descēderat, coniuratione facta classiarij vicarium eius in conclaue includunt, vel in portum quemcumque hostilem, vel in Africam etiam nauim appulsuri. Facius hoc coquis & pauci damnabant quidem, sed impares

*Proditio sra
tegemate co-
qui elusa.*

Anno
1689.

mutire non audebant. Heic coquus, quandoquidem, inquit, iam ipsi nos domini sumus; agite belle nos tractemus, relinamus omnia dolia, & optimis quibusque vescamur. Simul cum dictis, penu effringit, & præstantissimum vinum depromit, quod mox reliqui tam auide ingurgitarunt, vt somno oppressi cubitum plerique se conferrent. Heic coquus, obstructo cubiculi, in quo temulenti iacebant, exitu, vicarium inclusum emitit, eique sociorum consilium aperit. Ille magis obuallato exitu, mutatis siue conuersis velis, Amsterodamum contendit, & productos ad supplicium tradit.

*Dr. Sonsfeldt
moritur.*

Mense Iulio Hagæ - Comitibus repentina morte sublati sunt Dominus à Sonsfeldt, Confederatis Ordinibus, & Mauritio Comiti imprimis charus; in templo ibi primario magnifice cum equestri dignitatis ceremonijs, prælatis scilicet ense & calcaribus deauratis, sepultus.

*Nuptie G.
Fürstenber-
gensis.*

Pragæ mense Augusto Gulielmus Comes Fürstenbergensis ducta in matrimonium Christophori Poppelij filia, nuptias magna cum pompa celebrauit.

*Ducis Flo-
rentini.*

Florentiæ quoque regalis plane ad futuras nuptias fiebat apparatus. Magni enim Ducis filius Græciensem Archiducissam, Ferdinandi sororem Caroli filiam,

per

per legatos iam sibi desponderat: ita ut tres hæc sorores potentissimis regibus ac Principibus iam nuptæ sint; una Hispaniarum, altera Poloniæ regi, tertia iam Florentiæ siue Hetruriæ Duci.

Anno
1608.

Grauiissimis de causis Electores Imperij conuentum Fuldæ indixerant: ad quem dum se accingit Ioachimus Fridericus Elector Brandenburgensis, repentino correptus morbo paucos intra dies è vita decedit. Pragam hæc æstate quidam venit, qui Turcarum Imperatoris iâjrerum potentis fratrem se fert, biennio, si ipsi fides, natu maior, fortunamque suam & vitæ seriem hoc modo exposuit. Patre Anno MDXCVI. in Agriensi obsidione (quod oppidum & expugnauit) occupato, se cum tribus fratribus Constantinopoli relictum. Ex his maximum natu rebellionem siue conspirationem contra patrem machinatum esse; sed ea detecta, à patre reduce strangulatum, se vero in Græciam (è qua gente matrem habeat) missum. Interea patrem animam efflasse; statimque proximiorum ipsi natu, corruptis præfectis & purpuratis Imperium inuasisse, interfecto minimo natu fratre. Ad se quoque interficiendum missos sicarios: sed matrem futuri prouidam, alium supposuisse. Hoc defunctum periculo, contra fratrem arma arripuisse, sed

Mors Electoris Brandenburgensis.

Turcici Imperatori frater Pragam venit.

Anno
1608.

duobus proelijs victū ac profligatum. Hinc matris consilio Thessalonicam se contulisse, & haustis Christianæ religionis initijs, sacro lauacro tinctum. Iam Hispaniarum regem, & Pontificem quoque Romanum de genere & fortuna sua edocuisse: sed ad Christiani orbis caput, Imperatoriam scilicet Majestatem, proficisci quoque voluisse, vti horum omnium coniunctis viribus in paternum Imperium restitueretur. Id si fieret, nō solum Christianis omnia à prædecessoribus suis erepta restitutum; verum etiam operam daturum, vt quantum fieri potest, Turcæ ad Christianam religionem adducatur. Ei domicilium Pragæ in veteri oppido, & in sumtum annum duo thalerorum milia assignata sunt; additis quibusdam Turcicæ linguæ peritis Corycæis. Sobrium ac vino calentem examinatum aliquoties ferunt, sed idem semper dicere. Ecce tibi (si vera sint quæ dicit) fortunæ; sin falsa, malitiæ humanæ ludibria.

Fons in Misinia.

Vt hoc nobis Demetrianæ illius tragediæ; ita quod sequitur, fontis qui superiori tempore in Treuirēsi agro multorum sermonibus celebratus fuit, refricat memoriam. In Misinia ad Montem D. Annæ (quod oppidum est metallorum fodinis locuples) fons quoque repertus dicitur, cuius aqua mirabilem habeat vim
& in-

& incredibiles effectus ad morbos sanandos. Aquam eius aiunt lagenis ad remota etiam loca longe lateque exportari. Praga languore ac morbis confectum eò venisse; sed potatæ aqua, agilem ac sanum magna cum omnium admiratione domū rediisse. Dignam profecto aquam, quæ non omni tantum vino, sed nectari etiam & Hebes poculo præferatur.

Quomodo Angli in Guianam auro in India ditissimam regionem expeditiones aliquot susceperint (quarum tamen aliquot infeliciter successere) supra dictum est. Venisse tamen nonnulli eò dicuntur, & tantum non montes aureos reperisse: ad quos custodiendos munimenta aliquot & propugnacula jam ædificare cœperint. Quum autem Guiana pars sit Occidentalis Indiæ, Hispanorum suntibus detectæ; Hispaniarum rex ægerrime hoc ferre, atque Anglorum etiam regem monuisse dicitur, suos inde reuocaret; nisi vi eos inde expellivelit. Heu infelices Indiæ, quantas nobis in Europa turbas datis?

Angli Guiana prohibentur.

Ex eadem gente Anglorum, pirata quidam, qui sub Confederatis Ordinibus olim militavit, in Africam transisse dicitur, & contracta ibi cum rege quodam affinitate, decem nauibus mare infestare. Ab hoc aiunt insignem onerariam Alberti

Pirata nauibus intercipit.

Anno
1608.

Archiducis, Perlam nomine (quæ Duinkercka soluerat, & immensi precij merces, tapetia & aulae, picturas, & alia in Hispaniã portabat) interceptam atq; spoliatam. In eadem, si famæ fides, naui fuit Persicus ille legatus, qui in Suecia diu desidens, in Hollandiã ac Bruxellas, postea verò Dunkercam venerat, maritino itinere reditum tentaturus.

*Prædigia in
Italia.*

Regij in Lombardia hac æstate duos aiunt cometas, aliãque terroris plena prodigia conspecta. Sequutum mox terræmotum, ac tantam ventorum procellam, ut arbores è terra euulsæ, ædificia ac turres passim deiectæ & decussæ sint. Vna in Regiensi vrbe ad quatuor caminorum milia ventorum turbine deturbata: hancq; tempestatem agrum illum omnem Bononiam vsq; perualisse. Romæ tantum fuisse æstum quantum fuisse vix quisquam meminerit. hinc varios morbos inuulgatos, adeo ut omnia nosocomia agris plena sint & referta, quamuis singulis fere diebus quadrageni moriantur. In Sicilia Ætnam montem horribiles flammæ euoluisse, & vicinis locis ingens damnum dedisse. Simile incendium in vicinis quibusdam Vulcanijs insulis exstitisse. Magnam quoque serpentum, locustarum & venenatorum animalium proliuem erupisse, ac terræ nascencia, vineas maxime

maxime & oleas, corrupisse ac depasta esse. In agro Panormitano quoque sanguinem pluuisse.

Anno
1608.

*Venetorum
edictum.*

Venetijs quum multa ac frequentia facinora, furta & caedes committerentur: Senatus edicto sub graui poena vetuit ne quisquam sclopo armatus incederet, utq; omnes ociosi & vagabundi intra xxiv. horarum spacium vrbe, intra triduum verò, ipsorum territorio ac dominio excederent. Venetum quoq; Patriarcham non semel euocatum, superioribus mensibus Romam tandem venisse aiunt, & à Pontifice consecratum & confirmatum: à Borgefio deinde Cardinali magnifico epulo, vnà cum alijs, exceptum.

Mirum dictu est quam infestum hoc anno ab piratis mare fuerit Mediterraneum. Præter ea enim quæ Hetrusca classis spoliavit loca, primo triremis quædam Melitenfis onerariam Turcicam expugnauit, & uti ferunt, centenis quinquagenis aureorum millibus æstimatam prædam nacta est. Guadagnius insuper Eques cum sua classe Leratium insulam inuasit, & quadringentos inde Turcas, vnà cum multis machinis muralibus, auexit. Classis Florentina duarum Turcicarum triremium vnã cepit, alteram depressit, vnã cum omnibus vectoribus. Ad Gargara Carolus Centurio Genuati classi præfectus, Turcicam

*Piratica in
mare Medi-
terraneum.*

Anno
1608.

Turcicam itidem Galeottam in suam potestatem redegit, & captiuos Christianis liberatis, Turcas xxxii, compedibus ac remis alligauit. E contra Turcicæ quinque Anglicam onerariam varijs mercibus onustam, & Venetia iter habentem, aggressæ sunt, jamq; ducenti circiter Turcæ in eam transierant, prædę intenti: quum ecce Angli ignem in puluerem iniiciunt, atque vnâ cum victoribus communi exitio se inuoluunt. Ad Anconam verò Cenalis Prouisor (est id nomen Magistratus) duos Galeottas Turcicas sui juris fecit. Rursus à quatuor barbarorum triremibus oneraria quædam ex Italia in Hispaniam trajiciens, intercepta est. Ad cuius damni veluti solatium aliquot Hetrusci myoparones quatuor Turcicis nauigijs, oryza alijsque mercibus oneratis, potiti sunt. Quia vero Murates Rais cum Turcica classe in procinctu esse dicebatur; Siciliae prorex portus omnes tam insulæ quam Calabriae diligenter muniuit.

*Turcicus
Orator Vien-
nam venit.*

Viennam Turcicus media fere æstate venit legatus, Begus scilicet Sigethanus, domicilium ibi tanquam Imperatoris sui Orator, habiturus. A ciuibus Matthiæ Archiducis nomine magnifice exceptus, & ad hospicium vsque deductus, & nostrorum splendore & suorum nuditate fere in rubo-

Anno
1608.

in ruborem datus fuit. Is postea ad Archiducem è Bohemia reuersum admissus, mandatis domini sui expositis, Turcicum equum, sagum, aliumque apparatus equestrem dono obtulit. Ergo cum Turcis, ò Christiani, pacem facitis & colitis, & mutuis vos odijs ac dissidijs cōficitis & laniatis.

Pragam vix compresso tumultu Pontificius venerat legatus Cardinalis Mellinus, & ad hunc ipsum tumultum sedandum, & alias ob causas missus. Is confectis cur venerat rebus, Pontificio dono Cæsari ex rebus sacris oblato, liberaliter remuneratus & dimissus, Prunam ad Archiducem Matthiam se contulit, quò is ad comitia habenda venerat. Miseranda plane sunt, nedum miranda, quæ insolentes milites quum Praga tum alibi per vias ac compita etiam ipsarum vrbiū patre scribuntur. Impune enim obuios quosque male mulctare, spoliare, atque etiam occidere. vno die in ipsa vrbe puellam virginem, & ad arcis clium stabularium interfecisse. Hinc iritatus rusticos, abeuntibus insidias struere, & non minus crudeliter trucidare.

Transyluani ad defectionē iterum spectantes post Sigismundi Ragotsij imperiū detrectantis, discessum, Cosaccorum auxilio Gabrielem Batorem Principem sibi asciuerunt: Petricouius vero Michaelis Molda-

*Pontificis
Legatus Pra-
gam venit.*

*Transyluani-
ca.*

Anno 1608. Moldaviæ quondam Vaiuodæ filium qui Pragæ diu fuerat, in paternam ditionē cum quibusdam restituere conatus, Visseburgi, omnibus fortunis in fiscum à Batore redactis, in vincula est coniectus. Ita misera Transyluania nunquam potest quiescere.


Belgica Pacificatio eius-que spes.

In Belgio interim Pacificatio lente procedit. Patris Naijaduentum ex Hispanijs magno cum desiderio primum expectabant omnes; inde etiam cum fastidio, sic ut Daniæ regis legati discesserint, alij etiam domum cuperent reuerti. Tria aiunt potissimum esse Paci obstacula. Primum quod Hispaniarum Rex Catholicæ religionis exercitium omnino velit in omnibus prouincijs restitui (salua nihilominus Hollandis sua religione) cui petitioni non tantū Confederati, sed Angli etiam aduersentur. Velle deinde regem ut Hollandi ab Indica omnino abstineant negociatione: at Hollandis cetera omnia priusquam hoc facturos. Archiducē quoq; superioritate dominiorum quorundam in Brabantia minime cedere velle: quibus de causis Ordines tractationem omnem abruperint, eiusq; rei causas scripto consignatas, alterius partis delegatis exhibuerint. Interim Galliarum regis legatum Ioanninum se interposuisse, atque ordines hortatum ut Catholicæ religioni locum darent, in ceteris pars vtraq; modera-

mōderationi studeret. Interim verò de inducijs aliquot annorum tractationem rursus auspicarentur. His de rebus deliberandi tempus partem vtramque petijisse.

Post hæc Hollandi libellos omnes partim famulos partim ridiculos, quibus Pacificatio hæc fuit exagitata, graui interdicto prohibuerunt: simul etiam suis ne in Hispaniam aut Lusitaniam amplius nauigarent, interdixerunt. Quæ spes ergo Pacis? inquis. Nescio: Spes tamen adhuc est. Et quis scit an Deus è machina (vt in Græco est prouerbio) eam sit daturus? Equidem non ipsius tantum, sed Principum etiam & Regum consilia multum habent obscuritatis: nec quidquam fieri posse, vt Sophocles ait, negandum est. Quidquid futurum sit (meliora certe speramus) tibi, beneuole Lector, Deo bene iuuante, suo tempore libenter sumus communicaturi.

Da pils pacem iesv.



N d 340 e

(8) ✓

ULB Halle


3

005 837 324




1077





Tom
prehen
Colou
Tom
Tom
Tom
Tom
Tom





MERCVRII
GALLOBELGICI:

Sive

ERRVM IN
LLIA ET BELGIO

ISSIMVM: VNGARIA
QVE, GERMANIA, POLONIA,
a, Italia, Anglia, alijsque Christiani
s Regnis & Prouincijs, duobus his
oximis Annis, scilicet 1607, &
1608. gestarum.

N V N C I I

OMI OCTAVI
Pars Secunda.

Librum 31. comprehendens.



COLONIAE AGRIPPINAE.
ud Gerardum Greuenbruch.
Anno M. DC. VIII,

